

C V D

A I G G


1 6 0 5

~~190~~
~~no~~
V. a. 74

Libb. jurico
n.
29. 65.

18 by id. hber
Dankle





ARTIS NOTARIATVS

**ELEMEN-
TARIVS LIBER, IN**

QVAESTIONES SCHOLASTI-
cas redactus, Tyronibus huius artis, qui
in Notarios creari, & fortassè etiam in
iudicio Camerae Imperialis recipi,
seu immatriculari (quod vo-
cant) cupiunt, apprimè
vni futurus,

*PER HENRICVM CNAVSTI-
num, Artium liberalium, & V. I. Doctorem, Sacri
palatij, aulae q̄ Lateranensis Comitem,
& Poëtam Caesarem.*

*Adiectus est ad finem Operis Appendix,
De Notariorum excessibus, errori-
bus, atq; peccatis.*

Cum Gratia & Priuilegio Imperiali.



FRANCOFORDIAE,

M. D. LXXII.

8

ARTIS NOTARII

ELLENBERG
TARIVS LIBER. II

QUESTIONES SCHOLASTICAE
quodlibet. I. quodlibet. I. quodlibet. I.
quodlibet. I. quodlibet. I. quodlibet. I.
quodlibet. I. quodlibet. I. quodlibet. I.
quodlibet. I. quodlibet. I. quodlibet. I.
quodlibet. I. quodlibet. I. quodlibet. I.

ARTIS NOTARII
quodlibet. I. quodlibet. I. quodlibet. I.
quodlibet. I. quodlibet. I. quodlibet. I.
quodlibet. I. quodlibet. I. quodlibet. I.
quodlibet. I. quodlibet. I. quodlibet. I.
quodlibet. I. quodlibet. I. quodlibet. I.



FRANCOTURIA
M. D. LXXII



R E V E R E N
D I S, G E N E R O S I S, N O B I L I -
bus, Strenuis, Clarissimis, Doctissimis, atq;
optimis viris, & Dominis, Domino Wil-
chen Freitag, Decano, D. Theodorico Blecker,
V. I. Licentiatissimo, Scholasteri, D.
Casparo Dechow, Cantori, necnon Seniori, to-
tiq; Capitulo insignis Cathedralis Ecclesie
Hildesheimensis, Dominis suis gratiosis, &
obseruanter colendis, omnibus & singulis,
Henricus Cnaustinus, V. I. Doctor, S. P.
dicit, & gratiam, ac pacem, à Chri-
sto, Dei filio, viuo, &
vero, preca-
tur.



M me res ipsa edocu-
 issent, Reuerendi, Genero-
 si, Nobiles, Strenui, cla-
 rissimi, doctissimi, atq;
 optimi viri, expedire Reipublicæ, ne ho-
 mines indocti & imperiti, honorum &
 ordinum titulis orrentur, & tamen
 multi indies ferè publica officia appe-
 tant, quos non sat idoneos ad exercen-

PRAEFATIO.

da eiusmodi munera reperias, sicut mihi non rarò accidit, quando precibus amicorum, COMES Palatinus pulsor, vt in ipsorum gratiam, tenore amplissimi Priuilegij mei, Titium, aut Sempronium, in Tabellionem seu Notarium publicum creem: Conscripsi nuper, maiori ex parte, in itinere meo Saxonico (quando in proximè elapso autumno dilectam patriam Saxoniam, denuò vidi, cuius me dulcedine pasci quidem, at minimè fatiari, fateor, ad aliquot paucissimos menses concessum fuit) ne aliquid preciosissimi temporis inani ocio & desidia periret, hunc de Arte Notariatus libellum, vt Enchiridion seu Rudimentum quoddam esset, quo vti possent studiosi, qui in Collegijs, aut alijs vniuersitatibus, Communitatibus, oppidis, & ciuitatibus, publicum scribendi officium exercere cupiunt, ne illotis, quod aiunt, manibus & pedibus, in hæc sacra irruerent, eaq; parum intellecta, tractare aut profiteri auderent.

auderent. Extant integra volumina, de hac arte scripta, quæ satisfacere cuiuis possunt. Elementarium verò libellum, incipientibus aptum, nullum ferè, quod sciam, vidi. Hic itaq; labor meus, si studiosis, & maximè illis, quĩ in Notariorũ ordinem recipi, ac fortal- se etiam in Camera Imperialis iudicio Spiræ, immatriculari, quod vocant, gra- tus fuerit, non est, quòd me impensi la- boris pœniteat. Atq; vtinam assequi mihi optando liceat, vt hoc meo præ- manso cibo, quidam ex illis, qui Tabel- lionatus officium ambiunt, paratiores accedant ad creatores suos, Dominos Comites Sacri Palatij, ac se dignos illo ordine, quem petunt, mediocri doctri- na & artis suæ cognitione, ostendant ac declarent. Nec enim satis esse puto, quod quidam faciunt, dicere crea- turis suis, parum doctis & idoneis, Ordinem ac dignitatem Notariatus dare vobis possum, artem ipsam, & do- ctrinam, dare non possum. Nam quor-

PRAEFATIO.

sum attinet, collocare aliquem in stationem & ordinem, quem tueri non possit, & cuius munia ac iura obire & exercere nequeat. Multo rectius fit, si moneantur petitores, ut prius artem discant, quàm artis insignia & ornamenta petant. Hoc pacto continget, ut pauciores, at doctiores, habeamus in iudicijs, curijs, aulis, & municipijs Notarios, qui officio suo rectè, & laudabiliter, sine detrimento aliquo publico, partiumq; læsione, aut præiudicio, uti queant.

Vobis autem, viri reuerendi, nobiles, clarissimi, doctissimi & optimi, dedicare hoc quicquid est opellæ libuit, ut quod in Saxonia ferè totum natum esset, Saxonibus quoq; consecraretur, quibus meritò, & aliàs, omnes ingenio li mei monimenta & fœtus, præ cæteris debentur. Quid enim dilectæ patriæ nõ debeam, cui vitam, nutritionem, educationem, tam domesticam, quàm scholasticam, studia, doctrinam, si qua
in me

in me est, honestam cognationē, amicos, præceptores, & quid non, imò me-iplum, & quicquid meum est, debeo? Est enim patria (ita enim Saxoniam, Saxo, appello) sicut ille ait, velut alter quidam Deus, & primus, maximusq; parens. Hinc Euripides suaviter canit, cum patriæ, quia est dulcissima, nunquam quempiam satis gratum fore, significat, in hunc modum:

Ἡ πατρίς ὡς εἶοικε φίλτατον θεοτοῖς,
οὐδ' ἐνομήσαι δύναμ' ἄ' ὡς ἐστὶ φίλον.

Quis enim, si perpendat communia patriæ beneficia, ab ipsis usq; cunabulis, in se aceruatim & copiosè collata, si meminerit dulcissimorum parentū, fratrum, sororum, & agnatorum, cœli, aëris, aquarum, riparum, nemorum, alimentorum in educatione puerili, præceptorum, sociorum, & contubernalium, similiumq; rerum, olim in patria gratarum, sat se gratum patriæ exhibere queat? Timotheus Atheniensis Dux, cum collegam suum, propter ho-

PRAEFATIO.

nones quosdam superbientem, audisset dicentem, Putasne Timothee, patriam nostram fore gratam? Respondit. Modò nos dignas gratias referre possemus. Prudens sanè Ducis responsum fuit, qui maiora patriæ beneficia esse censuit, quàm ut quisquam, etiam gratissimus, rectè iisdem respòdeat. Atq; hac quidem voce, animi iuuenum superbientum, ac si natali loco nihil debeant, ad altiores dignitatum gradus subuecti, grauitè arguuntur. Et quartum Decalogi nostri præceptum, largissimè exposcit, ut sic in patriam pij simus. ne qua nobis ingritudinis dica scribatur. Ego, ut verum, & quod res est, fatear, tanto dulcissimæ communis patriæ Saxonæ amore & desiderio teneor, ut illius obliuio me nunquam ferè capiat. Abfui quidem patria multos annos, & longo interuallo, ac peregrè vixi, non pulsus, non fugatus, non profugatus, sed ingenij, si quod mihi est, excolendi gratia, & multum in me officij,

PRÆFATIO.

cij, beneuolentiæ, ac munificentia à peregrinis honorificè collatum est, sed nescio tamen, quid latentis energiæ in nobis semper amor patriæ habeat, etiã in felicissimo extra patriam statu. Hoc Ouidius lepidissimo versu testatur:

Rursus amor patriæ ratione valentior omni.

Et iterum:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos

Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Quid melius Roma? Scythico quid frigore peius?

Huc tamen ex illa, Barbarus iste fugit.

Cùm bene sint clausa cauea Pandæone nata,

Nititur in syluas quæq; redire suas.

Assuetos Tauri saltus, assueta Leones,

Nec feritas illos impedit, antra petunt.

Hinc Vlysses Ithacam suam, asperã Insulam, ita adamauit, vt nidulum illum, saxi affixum, immortalitati consecrare voluerit, & optarit, fumum saltem de Ithacis, seu patrijs posse videre focis. Nonne Stagiram, vrbium Olynthij vnam, à Philippo Macedone dirutam, Aristoteles eo amore profecutus est, vt eandem instaurandam ab

PRAEFATIO.

Alexandro Magno exorauerit. Nónne à diuina eloquentia Theophrastus dictus, Eresiam suam: nónne suam Ceon Ariston maximi fecit, adeóque in cœlum vsq; extulit? Quare non probo, qui stultitiam (sic enim iudicabatur) cuiusdam deridere volebat, cùm lunam Athenis meliorem & nitidiorem esse, quàm quæ Corinthi lucebat, dixisset. Siquidem eundem, dulcissimæ suæ patriæ amore illectum, sic sensisse, non est dubium. Nam etiamsi vilissima nonnulla sint, aut certè veri nō similia, tamen propter amorem genialis loci, pleraq; præstantissima efferuntur & iactantur. Quis enim mentis compos, sua, & maximè illa, quibus in vita, à primis vsque vnguiculis assuetus est, contemnere? Sed longius digressus sum, redeo ad dulcissimos compatriotas & populares, ac rogo per communis Saxoniae, patriæ, amorem, & Christianæ societatis vincula, vt vobis huius dedicationis meæ officium non sit ingrati, qua

qua in re si me voti compotem feceritis, quod spero, non deerunt & alia suo tempore, quibus status vester, & magnificus ordo, haud vulgari modo, à me ornetur. Quod superest, vos filio Dei, apud patrem pro nobis μεσίτην ἢ ἡκέτην, commendo, vt mentes vestras per spiritum sanctum regat, & in agnitione sui, ac vera inuocatione conseruet & tueatur. Bene valete. Datae Erphordiae, in veteri Musarum colonia, Calendis Nouembris. Anno reparate salutis

1571.

ELE-



ELEMENTARIUS
LIBER ARTIS NOTARIA-
tus, in Quæstiones Scholasticas redactus,
Tyronibus huius artis, qui in Notarios
creari, & fortasse etiam Spiræ in iudicio
Camerae Imperialis recipi, seu immatri-
culari, quod vocant, cupiunt, apprimè
vsui futurus. Per D. Henricum Cnau-
stinum, Artium liberalium, & V. L.
Doctorem, ac Poëtam Lau-
reatum, &c.

ARS NOTARIATUS
quid est?

EST certa ratio scribendi vel dictandi,
per quam fragilitatis humanae negotia ro-
borantur, & perenni memoriae commendantur.

Vel sic.

*Est officium publicum, quo varia homi-
num negotia, diuersiq; actus, in solennem, pu-
blicam, & authenticam scripti formam redi-
guntur, atq; ita digna, plenaq; fide, ad perpe-
tuam posterorum memoriam referuntur.*

Is, qui hanc Artem exercet, quo
modo dicitur?

Nota-

Notarius, Tabellio, uel etiam Iudex chartularius, seu ordinarius.

Notarius ergo quis est?

Notarius, seu Tabellio, est persona publica, officium tabellionatus exercens, seu gerens, propter publicam utilitatem ordinata, superioris autoritate munita.

Notarius unde nomen habet?

A notando, hoc est, diligenter scribendo, et obseruando, quae à partibus aguntur, & dicuntur. Nam circumspectus, simul & doctus esse Notarius, ac cautè studioseq; scripturas suas in scrinijs, alijsq; receptaculis custodire debet. Adde etiam quòd cum ipsius opera, ac fides, in aliquo actu imploratur, & requiritur, omnibus honestis bonisq; uiris, pauperi nò minus, quàm diuiti, inseruire & operam locare tenetur.

Quare dicitur Tabellio?

A tabula. Quia in tabulis scribi olim solebat.

Unde Iudex chartularius, seu ordinarius dicitur?

Iudices chartularij olim dicebantur, qui ab Imperatore priuilegiati erant, ut qui uellent coram eis litigare, possent. Sed ipsi non poterant

ARTIS NOTARIATVS

rant cogere quenquam, ut inuitus coram eis litigaret. Quare & hodie dicuntur Iudices ordinarij, non tamen habentes administrationē, nisi habitu. not. l. i. ff. de iudic. & l. final. C. ubi & apud quem cognitio in integrum restitutionis agenda sit.

Habentne & alia nomina Notarij in Iure?

Omnino. Nam & dicuntur in Iure tabularij, serui publici, scriptores, libellenses, scriuarij, memoriales, pragmaticales, epistolares, exceptores, logographi. l. nullus omnino. C. lib. 10. & l. precipimus. & l. in offerendis. C. de appella.

Quamobrem seruus publicus dicitur Notarius?

Sic appellatur, non quòd seruus sit conditio ne, qui Notarius esse non potest, sed quòd omnibus pariter, munus suum implorantibus, & requirentibus, pauperi æquè ac diuiti, ex officio in seruire debeat & teneatur.

Quis potest facere Notarios, siue Tabelliones?

Papa, Imperator, & Reges, vel is, cui per speciale Priuilegium, Papa, vel Imperator, hoc ipsum concessit.

Qui

Qui sunt illi, quibus Papa, vel Imperator, aut vterq; hoc Priuilegium concedere solent?

Dicuntur hodie, Sacri Lateranensis Palatii, Aulæq; & Consistorij Apostolici, aut Cæsarei, & Imperialis Comites, aut Vicecomites, quorum sanè haudquaquam mediocris est dignitas.

Quænam autem illa?

Hæc nimirum, Quòd Comites Palatini inter illustres referantur, atq; Proconsulibus Imperatoris, & imprimis Asiæ Proconsuli, qui voluntariam Iurisdictionē habet, æquentur. l. 1. C. de silent. & Decur. lib. 12.

Hui, Comites sine Comitatu. Quænam hæc est dignitas abusiua?

Hem, ne dixeris. Nonne, quæso, magnificū, & imprimis honorificū munus est, quòd Doctori legenti in Schola publica indulgetur, scilicet, ut exactis viginti annis, COMES intelligatur. Aut, quòd ppter excellentia merita, COMITIS dignitas alicui, seu à Papa, seu ab Imperatore,

ARTIS NOTARIATVS

Imperatore, ex singulari gratia, ante exactos viginti annos, etiã extra scholas, tribuitur, et condonatur. l. 1. & ibi gloss. C. de profess. qui in urb. Bart. in l. 1. C. de dignit. eod. lib. Et hac **COMITVM** dignitate, autoritate, & amplitudine, quid magnificentius, atq; magis honorificum viris doctis esse potest, quæ amplissimo Priuilegio homines natalibus restituit, & quandam diuinitatis naturam refert, Notarios creat, & ad Doctóratu dignitatem promouet, omnibusq; & singulis Priuilegijs decoratur, quibus Scholarum Rectores, & Principes sunt ornati. Castrens. in 1. Constit. eod. Gemin. in c. grandi. paulò post princi. de supplen. neglig. Præla. lib. 6. Ioan. Crass. de substan. procurat. versic. publicus. Hinc est, quòd Comes Palatinus, omni iuris ratione, Equiti aurato præferri debet, iuxta ea, quæ Lanfranch. signorol. Bolognin. ac alij, in quæstione, de Milite & Doctore, eruditè disputarunt.

Licet ne & alijs Principibus, Comitibus, Ciuitatibus, aut vniuersitatibus, propria autoritate creare Notarios?

Receptum est, id licere. Cæterùm inter utrosq; hæc est differentia, quòd à Papa, Imperatore,

ratore, vel eorum nomine, à Comitibus Palatinis creati, ubique omnino locorum, etiam in Gallia, Anglia, ipsisq; Hispanijs, officio suo uti, & Instrumenta fide digna conficere possint. Verùm, qui ab inferiori Principe, Episcopo, ciuitate, aut vniuersitate creati sunt, extra Iurisdictionem ipsorum constituentium, seu creantium, Instrumenta conficere, aut officium suum exercere non possunt, nec pro Notarijs ibidem habentur.

Quid autem in Notariorum creatione potissimùm considerare, & quos in Notarios creare, seu ordinare, comites, vel vicecomites Palatini possunt, & debent?

Omnes, qui à iure non prohibentur.

Qui verò prohibentur?

Non pauci quidem. Iccirco Comites, aut Vicecomites Palatini præcipua cura adtendere, diligenterq; considerare debent, qui, & quales sint illi, qui in Tabelliones, seu Notarios creari postulant, & petunt. Nam Notarij esse prohibentur: Primò Serui. Quia is, qui seruus est, & non liber, Notarius esse non potest, cùm sit publicum officium, à quo serui repelluntur. l. generali. in princip. Cod. de iudicijs.

B

ARTIS NOTARIATVS

Deinde Monachi, & Canonici regulares, cum illi, quo ad actus ciuiles, pro mortuis reputentur, quia diuinis officijs, & lectioni Bibliorum, ac sacrae scripturae vacare debent, & se non immiscere rebus secularibus, & ijs, quae in foro aguntur, leg. deo nobis. Cod. de episcop. & cler. 16. quaest. 1. c. placuit.

Simul & foeminae. Nam Notariatus virile, & publicum est officium, a quo mulieres remotae sunt. l. 2. ff. de regu. iur.

Nec non furiosi. Nam Notarius sanae mentis esse debet, affabilis, discretus, humanus, & benignus in omnes, non fatuus, aut stolidus, nec bibulus, vel ebriosus, qui furioso haud multum dissimilis est. Sed & eum esse Notarium nolo, qui aliquando furiosus fuerit. Nam qui semel furere coeperit, is per totam prorsus vitam non existimatur ad sanam mentem rediisse, nisi euidenter adpareat diuersum. l. Ambiguitatem. Cod. de usufructu, & habitatione.

Adde caecos, mutos, surdos, quia videre, loqui, & exaudire se inuicem Notarius, & contrahentes debent. l. 1. ff. de verbo. obligat.

Proinde & infames. Nam Notarius integrae fama, & bonae existimationis esse debet, & non falsarius, aut qui a fide catholica, et orthodoxa aberrarit, cum tabellionatus officium honor sit, & dignitas, a quibus repelluntur infames. lege 2. Cod. de dignit. libr. 12. & c. inter dilectos. extr.

extr. de excessi. præla. cap. infamib. ff. de regul. iuris. in. 6.

His iunge, malis moribus præditos, & nullis honestorum virorum testimonijs approbatos, aut commendatos, etiamsi non infames. Inquit enim Imperator, cū reliquis oportet magistratum, & mores creandorum inuestigare. Neq; facultates enim neq; dignitas, ita sufficiens est ad fidem, vt electio, & benigni mores. l. scire oportet. para. cū reliquis. ff. de tutorib. & curato.

Indoctos aut hoc loco præterire nullo modo licet. Nam nisi doctus sit Notarius, quomodo officium publicum, tam arduum, & laboriosum, exercebit? Peritus enim esse debet Notarius, paratus docere, non doceri. l. si quis ex argentarijs. parag. ait prætor. ff. de edendo.

Postremò & hoc considerari non iniquum est, aut inconueniens, an honestorum, & bonorum parentum sint filij, ac legitimæ ætatis.

Adeone multa in Notariorum creatione obseruari conuenit? Quas adducis eius rei causas, & in iure fundatas rationes?

ARTIS NOTARIATVS

Possẽm tibi multas in medium proferre rationes. Breuitatis autem studio, è multis pau-
culas recensebo, si id vrgebis, & tibi non esse
satis factum superiori explicatione, putabis.

Vt reliqua missa faciam, quod de mo-
ribus dixisti, quomodo ad
amussim intel-
ligam?

Fortassè miraris, quòd sicut Oratorem, sic
& Notarium, esse bonum virum velim. Quid
ni autem bonos mores, & probatam vitam in
futuro Notario requiram? Constat nanq, sat
arduum, & non infimæ dignitatis, auctorida-
tisq, Notariatus officium esse, ita vt omnia
fermè mundi negotia, Notariorum fidei com-
mittantur, siue inter Reges, & Principes, Im-
peratorem, & Papam, aut alios inferiores quos-
uis, sint peracta. Quid ergo tibi à Notario, in
dignitate cõstituto, & excellenti munere, pro-
uinciaq, honorato, non debeas pmittere? Qua-
re vitam, & mores Notariorum tales esse con-
uenit, vt virtus eos facilè commendare, &
gratos bonis, & grauibus viris reddere possit.
Nunquam enim tam excellens & preciosum
talentum cõcreditum, rectè dispensabit is, cu-
ius vita, moresq, cū honesto dissident, & pu-
gnant. Neq, verò & is tramites recti boniq, se-
qui

qui videtur, qui se prauis sodalitijs iungit, & cum bonis, honestis, doctis, et prudentibus viris assiduè non conuersatur. Similes enim similibus facile congregantur, quod dicitur. Et scriptura teste, cum sancto sanctus eris, cum peruerso peruerteris. Hinc negari non potest, quòd ex moribus, conuersatione, & vita, fides Notario vel augetur, vel minuitur. Quia si cum bonis, & honestis viris continuè conuersetur, maior sibi, suisq; instrumentis fides adhibetur, et minus sinistrae suspicionis de se nascetur, quàm si cum vilibus personis, scurris, circulatoribus, lusoribus, scortatoribus, belluonibus, decoctoribus, & similibus sycophantis, consuetudinem habeat, ijsq; sit familiaris. Ne igitur falsi, aut aliorum excessuum, etiam extra suum tabellionatus officium commissorū, insimuletur, vel suspicionem saltem aliquam incurrat, honestam conuersationem ante omnia præ se ferat. Quis enim non intelligit, instrumentis Notarij infamati, vel suspecti, tantam fidem non adhiberi, quanta bonæ reputationis Notariorum scriptis adhibetur. Nam conuersatio, & vita Tabellionum laudabilis, tam autentici, & magni officij respondere dignitati debet. iuxta d. leg. scire oportet. parag. cum reliquis. ff. de tutorib. & curatoribus. & l. pacta, quæ contra. ff. de pactis. & l. stipulatio hoc modo cõcepta. ff. de verba, obligationibus.

ARTIS NOTARIATVS

Quare testimonijs vsq; adeò opus
esse putas?

Diuus Paulus in Ecclesiae ministris requirit, ut bona testimonia habeant ab his, qui foris sunt. Certè & Reipubl. interest, non omnes passim ad dignitates, & honores admitti, aut ad publica munera promoueri, nisi scias, qui sint, unde veniant, quibus artibus, & Domini operam dederint. Si enim frugi sint, dubio procul, non absque testimoniorum commendationibus ab heris, aut præceptoribus suis sunt dimissi. Atq; cum ingens hoc tempore ingeniorum sit petulantia, & mira morum deprauatio, cauendum est omni studio, ne per incuriam, pro bonis mali, honorum titulis aucti, Rerum publicarum gubernatoribus, & alijs honestis viris obtrudantur. Nam hi boni viri, quando se fuco creationis, aut promotionis deceptos sentiunt, deinde creatori, seu promotori talis monstri, non per omnia gratias agunt, aut bene loquuntur. Nec enim bonorum virorum testimonia, cõmendationesq; negligendæ sunt. lege penul. parag. æstimato. & parag. minuitur. & para. consumitur. ff. de varijs & extraordin. cognitionibus, & ibi. dd.

Non parum quoq; doctos,
scio, vis esse?

Volo.

Volo. Nam necesse est, eos contractuum substantialia bene intelligere, ipsorumq; varietates, & differentias cognoscere, ut cuiq; contractui suam formam, formulasq; debitas tribuere possint. Hinc constat, necesse esse, ut ad omne minus sint Grammatici, ne in præceptis puerilibus Etymologia, Syntaxeos, & Orthographia, turpiter impingant, & peccent, quòd nò modò probrosum adultis, sed & pueris ridiculum est. Verùm quid dicemus de multis, nostri temporis, Notarijs, qui tam indocti sunt, ut vix tria aut quatuor verba, absq; vitijs grammaticalibus, congruè proferre possint, & ea ipso pueris, qui in Scholis, ob id, virgis cædi solent, lógè inferiores. Turpe dictu, at verum. Et hìc in Rempublicam, còmodaq; publica, non minimum peccat illi, qui tales creaturas, monstris, quàm Tabellionibus, similiores, in officinam publicam Notariorum totius orbis mittunt, rei literariæ verè pestes, & exitium, ignominia, & dedecus. Nam multo melius est, quod veteres dixerent, vacare cathedras, quàm cathedrare capras.

Eho, si tam rigidus in creandis Notarijs césor eris, & indoctos omnes reieceris, quotusquisq; obsecro, Notarius erit?

ARTIS NOTARIATVS

Quid tum postea. Sint sanè pauci, modò boni & eruditi. Non enim omnino admittendi sunt, qui licet sensibus exterioribus nullum patiuntur defectum, interioribus tamen aliquo modo sunt orbi, puta, ne vel mediocri quidem prudentia, intelligentia, iudicio, & doctrina præditi. Quantum enim interest, quæso, oculis non videas, quæ aguntur, an animo non videas, aut auribus non percipias, quæ dicuntur, an intellectu, iudicioq; non capias? Debet igitur Notarius esse vir cordatus, intelligens, prudens, discretus, & doctus, qui lepram à lepra iudicare, & dignoscere, item quid à partibus agatur, quid simuletur, sciat, quos actus coram se admittere, quos autem, tanquam vir bonus, reijcere, recusareq; debeat.

Fortasse vis, vt Notarius iura quoque, & leges sciat?

Volo, vt mediocri doctrina Notarius sit instructus, sicut supra dictum est. Sed quod ad Iura attinet, quæri hoc loco solet. Et Accursius quidem in l. generali, & post eum Speculator, loco præallegato, sentiunt, quòd Notarij Iura scire debeant. Ne, inquit, facientes illicitos contractus, pœnam subeant. lege, iubemus. Cod. de sacrosanctis ecclesijs, lege finali. Cod. de eunuch. Quod ego tamen non ita intelligo, ac si
necesse.

necesse sit, magna Notarium iuris scientia præditum esse. Aliud est, inquit Antonius apud Ciceronem, artificem alicuius artis esse, aliud non rudem. Et si itaq; perutile sit, si quantam possit maximam iuris scientiam sibi comparet tabellio, tamen satis fuerit, si mediocrem quandam notitiam eorum iurium, quæ de contractibus, ultimis voluntatibus, de iudicialibus, & alijs quibusdam similibus observationibus statuta sunt, consequatur, & habeat. Nam & hæc ipsa notitia, postea per se usu, ac tempore augebitur, & confirmabitur.

De parentibus miror, quod dicas?

Mirari desine. Noti sunt versus Horatij:

Fortes creantur fortibus, & bonis.

Est in equis, est in iuuenicis patrum

Virtus, nec imbellem feroces

Progenerant Aquilæ columbam.

Præsumuntur & ipsi esse boni, qui bonis præcreati, & nationis sunt non infamata. l. quod si nolit. parag. qui mancipia. ff. de ædili. edict. Nec tamen hæc ita esse dicta velim, quasi & inferiorum ordinum filij non possint esse boni, cum constet, sæpius accidere, ut etiam olitor, aut colonus, habeat filium non modò excellentis ingenij, sed & præclaræ indolis, planè à pa-

ARTIS NOTARIATVS

*tris natura exorbitantis. Non enim virtuti
 propria, propter natales, quicquam derogan-
 dum est, siquidem ex natalibus, quo ad ea, quæ
 ad virtutem spectant, neminem nobiliorem,
 vel ignobiliorem esse liquidò patet. c. nun-
 quam, 56. distinct. gloss. in cap. quoniam ve-
 tus, 24. q. 1. Quanti viri, Socrates & Demo-
 sthenes fuere, & tamè ille parentibus ignobi-
 lissimis, hic etiam prorsus ignotis natus est.
 Quare de parentibus non admodum contendo,
 modò ne carnificũ, latronum, furum, aut alio
 qui circulatorum, & infamium sint filij. Quid
 enim de talibus tibi pollicearis? Vulgò fertur,
 Sæpe solet similis filius esse patris. Et plerunq;
 fit, ut tales gignamus, quales nos sumus. Non
 tamen volo filium portare iniquitatem patris,
 si fide digno testimonio, & sua ipsius doctrina,
 vita, & morum integritate comprobatur, se à
 maiorum suorum vitijs alienum esse, & vir-
 tutis amore, vitam moresq; rigida disciplina
 regendos præceptoribus ultrò tradidisse. Sic
 enim Socrates, & alij philosophi complures,
 qui aliquid labis in natura, & educatione, à
 parentibus vilissimis, quibus nati erant,
 hauserant, studio, & disciplina mores cor-
 rexerunt, ne vestigia patrum sequerentur,
 aut tales essent, quales ipsos, vel natales,
 vel corporum lineamenta, & constitutio,
 seu facierum physionomia, & oculorum ha-
 bitus,*

bitus, in quibus esse sedes mentis fertur, arguerent.

Iustæ ætatis etiã mentionem
suprà fecisti. Quid hoc
sibi vult?

Manifestum est, primam ætatem, quæ sua natura, rebus bene gerendis non est accommoda, haudquaquam huic officio sufficere, cum ea luxui, voluptatibus, petulantia, libidini, pravis sodalitijs, leuitati, & ocio, magis quàm negotio, ac labori sit dedita, plus quàm passione, ut sic loquar, quàm ratione regatur.

Sed ad rem veniamus. In quibus ergo rebus, punctifue Notarij munus præcipuè consistet?

*Quæ ad Tabellionum officium pertinent, ea ex Imperatoris Iustiniani Authentica, de Tabellionibus, collatione 4. & nouissima Diui Cæsaris Maximiliani, felicissimæ recordationis, ordinatione, de Notarijs, in Comitijs
Colo-*

ARTIS NOTARIATVS

Coloniensibus, Anno 1512. edita, colligere, discereq; Notarij possunt. Verùm, & nos hoc loco, in gratiam Tyronum huius palestræ, summam, & per capita, rem totam percurremus. Sed antequam ipsam artem attingamus, generalia quædã artis præcepta præmittemus, quæ ipsi arti viam parent, vt facilius sit intellectus sequentium, & vsus artis illucescat magis. Primum itaq; de protocollo breuiter dicemus, & sic ordine de reliquis.

Protocollum quid est?

Protocollum. Notula seu Imbreuiatura, est Enchiridion, ad hoc singulariter à Notario comparatum, vt in id omnes cõtractus, siue actus, qui coram se fiunt, seu celebrantur, protinus inscribat, inde in solennem, debitamq; formam postea extendendos.

Quando hoc Enchiridion, Protocol- lum, vel Imbreuiaturam, sibi comparabit?

Post comparatam artis huius, quam exercere instituit, notitiam. Nam impudentis esset oris, exercere velle artem, parũ cognitam, & quam non legitimè antea didiceris. Nec enim feliciter docebit, qui nihil didicit. Iuxta illud
Nasonis,

Nasonis, Quodq̄, parum nouit, nemo docere potest.

*Quomodo efficiet Notarius, vt Protocol-
collum suum quàm maximè
fide dignum sit, &
habeatur?*

*Hoc fiet, si competenti illud titulo, in fron-
te inscribat, quo anno, quo tempore, & ad quid
confecerit, & in eis fidem, nomen, cognomenq̄,
suum subscribat, & signum, quo usus est,
vel quo iam utitur, apponat. Obseruet in toto
libro bonum ordinem, & legibiliter scribat.
Nam saepe accidit, vt deperdito Instrumento,
ad Protocolum, seu Imbreuiaturam, fiat re-
cursus. Et tunc perinde valet Protocolum,
atq̄ ipsum extractum, & magis ferè statur Pro-
tocollo, modò illud sufficienter omnia substan-
tialia negocij cõtineat. Vide Lanfran. & Bald.
in Rub. C. de fide instrum.*

*Quomodo se geret Notarius er-
ga partes ad se ve-
nientes?*

*Affabilem & humanum oportet esse No-
tarium imprimis, & discretũ, vt partes ali-
cuius actus celebrandi gratia, ad se venientes,
ipse*

ARTIS NOTARIATVS

ipse diligenter audiat, intentionem & mentem ipsorum, adeoque totum negocium probe percipiat. De obscuris, dubijsque dictis, latinus interroget. Atque ut partes ipse audiat, usq; adeo est ex officio Notarij, ut eam alteri Notario delegare non possit. Oriretur enim inde mera nullitas. Quod est notandum. Vide Lanfran.

Quid in omni actu coram se celebrato, præcipuè considerare debet?

In omni actu seu contractu, illius substantiam, qualitates, & solennitates consideret, ac qua necessaria sunt interuenire, sedulo faciat. Et ipse, tanquam peritior, atq; in his exercitior, in omnem partem prospiciat, ut contractus coram se celebrati, sint liciti, & de iure permissi. Item, ne actus forte aliquis, ad quem ipse requisitus fuit, ex defectu quodam, tanquam nullus, & frustratorius, impugnari, annihilariq; possit.

Declara hæc aliquo exemplo.

Vt, si certo testium numero opus sit, curare Notarium necesse est, ut illum partes integri
adhi-

adhibeant. Si renunciatione, curabit, ut fiat. Si cautione, si fideiussione, si iuramento, si propinquorum, liberorum, tutorum, & similibus interuentu, vel assistentia opus fuerit, admonabit, ut adhibeantur, & ita de similibus.

Licet ne aliena manu Imbreuiaturam scribere?

Non licet. Nam in prædictis omnibus, ita ut decet, sedulo exornatis, totum actum, ipse sua manu, non per alium, in Protocollum referre, & inscribere, Imbreuiaturamq; conficere debet.

Quid postremò facere debet, antequam partes à se recedant?

Antequam discedant partes, debet illis pacta, facta, renuntiationes, cessiones, & clausulas dubias, siue ambiguas, intelligibiliter, & distinctè prælegere, deq; illis sufficienter admonere, & si minus intelligant, etiam instruere, & plenè edocere, maximè, si in scriptis partes contrahere velint, ut addere, vel demere, quod libeat, possint. Barto. in l. si quis ex argentarijs. parag. Initium. ff. de eden. Felin. c. 1. de fid. instru.

Quomodo

ARTIS NOTARIATVS

Quomodo se habebit in extendendo, secundū formam, & postquam extendit?

Imbreuiaturam secundum formā debitam extendere, & ex ipsa Instrumentum extrahere, descriptumq; manu sua in membrana, ex more, & per se subscriptum, solitoq; signo signatum, partibus impartiri debet.

Licetne, vt Notarius, si fortè alijs negocijs occupatus sit, per alium Instrumenta describi curet?

Solam Instrumenti descriptionem, siue vt vocant, ingrossationem, si Notarius ipse, præ occupationibus, fortè tempus ad id non habeat, alij sanè committere potest, etiam non Notario. Ita tamen, vt ipse semper manu sua ponat subscriptionem, nomen, cognomen, & signum suum. Atq; cautè facturū est, si in ea subscriptione dicat, & attestetur, se dedisse præsens Instrumentum, vt alterius manu describeretur, quia iusto impedimento ipse fuerit, ne id faceret, impeditus. Et hoc obseruatur in practica.

Sed

Sed quomodo facienda est exten-
sio ex Imbreuiatura, secun-
dum substantiam?

*Notarius potest facere Extensionem ex Im-
breuiatura, circa circumstantias negocij, &
ea, quæ sunt de consuetudine extendendi In-
strumenti, sed non circa substantiam negotij.
Nam in principali negocio extendere non po-
test, nec quicquam immutare, secus, quàm in
Imbreuiatura inuenitur.*

Sed quomodo ea, quæ in Imbreuiatu-
ra inueniuntur, ornatè ponen-
da, & in bonam formam
redigenda sunt?

*Positum in Imbreuiatura, denotat, & exi-
git extensionem, secundū consuetudinem alio-
rum Instrumentorum extensorum, in simili
materia. Hoc dictū Bartolus reputat pulcher-
rimum, in l. Gallus. ff. de liber. & posth.*

Notarius postquam iam extractum ex
Imbreuiatura confecit, parti-
busq; cōmunicauit, quid
porrò faciet?

C

ARTIS NOTARIATVS

*Moris est, ut Notarij, post factam extractio-
nem, Imbreuiaturam cancellent, vel aliàs no-
tent, ut dinoscere possint, extractum ex ea fa-
ctum, & partibus communicatum esse.*

**Quid si deinde, propter Cancellatio-
nē, Imbreuiatura legi non possit,
in necessario aliquo ad
eam recursum?**

*Admonendi hīc sunt Notarij, ne unquam
ita cancellent Imbreuiaturam, ut in posterum
legi, recognosci, & reuideri non possit; maxi-
mè, si talia sint Instrumenta, quæ aliquando
possint venire reficienda. Vide Bald. in d. Ru-
bri. Cod. de fide instrument.*

**Sunt ne plura ad Notarij officium
propriè pertinentia, quæ
obseruari neces-
se est?**

*Sunt omnino. Nam hæc quidem, quæ dixi-
mus, in genere ita se habent. In specie autem,
& hæc sequentia consideranda, & obseruanda
sunt, quæ tanquam regulas aliquas speciales
ponemus.*

Primò,

- Primò, ut fideliter, & cautè scribat, sine cuiusquam læsione, & absque præiudicio partium.
2. Secundò, ne sit garrulus, aut intemperantis linguæ, nec partibus, hinc inde aliquid, quod reticere debuit, aperiat.
 3. Tertio, ut tales adhibeat testes, qui à iure non prohibeantur ferre testimonium.
 4. Deinde non scribat Instrumentum in charta rasa, nec ipse chartam radat, ne fortè propterea totum Instrumentum reijciatur, si res ad lites veniat.
 5. Porrò, caueat ne scribat falsa, aut illicita Instrumenta, à iure personarum, vel rerum, aut mixta etiam ratione, prohibita.
 6. Item, in principio instrumentorum, semper ponat annum Domini, & diem, in quo celebratus est actus.
 7. Similiter scribat nomen Romani Pontificis, vel Imperatoris, vel utriusq³, iuxta tenorem suæ creationis.
 8. Addat etiam Indictionem, & nomina contrahentium, testiumq³, in quorum præsentia cuncta aguntur.
 9. Loci quoq³ fiat mentio, in quo actus celebratur.
 10. Nomen simul proprium, & cognomen, de quo dubitari non possit, apponat.

ARTIS NOTARIATVS

11. *Vtatur etiam signo quodam, in fine subscriptionis, quod sibi sit peculiare, & præceteris proprium, non commune cum alijs.*
12. *Et quod semel sibi delegit signum, quo iam usus est, hoc non mutet postea, ne falsi suspicionem incurrat, dum diuersis signis uti videtur.*

Quia indictionem nominasti,
Dic, quid est Indictio?

Indictio est spacium quinque annorum, à Romanis institutum, ut tribus lustris, toto terrarum orbe tributa Romanæ Reipublicæ solverentur.

Quid est lustrum?

Est spacium quinque annorum, à Romanis consideratum, ad tempus Dictaturarum, quod descendit à verbo Polysimo, quod est lustrum.

Qui sic?

Quia in fine quinquennij cuiuslibet, & in principio dictaturæ, circuibant cives Romani urbem,

urbem, cum cereis, & candelis, & postea in Martio campo Dictatorem eligebant.

Quare indictio, & hoc quinq; annorum spacium, à Romanis est institutum?

Romani, cum dominarentur ferè uniuersis nationibus, terras sibi fecerunt tributarias, precipiètes, ut terræ remotiores, propter difficultatem transitus, in fine primi quinquennij persoluerent aurum, ad dominationis typū. In fine secundi, argentum, ad stipendia militū. In fine tertij, æs & ferrum, ad armorum reparationem. Hinc à quibusdam indictio, alia aurea, alia ærea, alia ferrea dicta est. Vnde Romani sanxerunt, constitueruntq; quòd nullum Priuilegium, nullum pactum, nullus contractus, nulla deniq; conuentio, scripto mandata, esset stabilis vel firma, nisi haberet annum Indictionis annotatum. Et hoc propterea, ne tributorum soluendorum memoria laberetur.

Quando incipit Cyclus indictmentis?

In Septembri. Tunc enim, quia fruges collectæ sunt, facilè solui tributa possunt.

C 3

ARTIS NOTARIATVS

Quomodo potest sciri, in quoto
indictionis anno
simus?

*Sic potes. Annis Domini addantur tres.
Nam dominus saluator mundi dicitur natus
fuisse quarto anno Indictionis. Deinde totum
diuidatur per 15. Si tunc nihil fuerit residuum,
sumus in ultimo anno Indictionis. Si verò ali-
quid residuum est, hoc ipsum ostendit & de-
notat nobis, in quoto anno simus.*

Recita versus memoriales veterum,
quibus indictiones descri-
pserunt,

*Roma. tributa dari Rex per quinquēnia iussit,
Post aurum, argentū, post indixit quoq; ferrū.
Hæc tria lustra suo sunt assignata tributo,
Cum redit October, noua fit indictio semper.*

Feruntur & hi versus:

*Si per quindenos Domini diuiseris annos,
His tribus adiunctis, Indictio certa notatur.
Ad differentiam autem Edictorum, & In-
dictionum, vsi sunt hoc versiculo:*

*Edicunt Reges, indicit festa sacerdos,
Sed hæc differentia confunditur non raro.*

Vnde

Vnde digressus es, redi, & perge de No-
tarij officio, sicut cœperas, ne-
cessaria, & specialia
dicere.

13. Breviter specialia quædam, quæ restant,
perstringam, & me paucis absoluã. Porrò
ergo diligenter considerabit contractus
naturam, qui coram ipso à partibus cele-
brandus est, quid exposcat ille, quid re-
quirat, quid nõ requirat, quid admittat,
& non admittat, an sit licitus, vel illicitus,
legitimus, vel illegitimus, & an iu-
re subsistere possit, nec ne.
14. Considerabit etiam, quæ & quales sint cõ-
trahentium personæ, cuius ætatis, sexus,
conditionis, ingenij, intellectus, an sint
adhuc minorenes, aut in patria potesta-
te, an possint contrahere, vel non contra-
here, & quatenus hoc illis liceat.
15. Item, an res in commercium hominum ve-
nire, alienari, oppignorari, gravari pos-
sint, vel non possint. Et si queant, quæ
lege, conditione, ratione, atq; omine.
16. Porrò, si fortè de mutuo agatur, observa-
bit, an contractus ab usuraria, vel sy-
moniacâ prauitate purus sit.
17. Deniq; si pro consuetudine loci, certas clau-
sulas inserere necesse sit, illas nullo mo-

65
ARTIS NOTARIATVS

- do omittere debet, ne Instrumentum, ob defectum talium clausularum consuetarum, suspectum, & fictitium habeatur, & impugnationes, Exceptiones, protestationes, & similia patiatur. Bartol. in l. generali. C. de tabularijs. & c. lib. 10.
18. Item, si contractus vel actus, plures, quam duos testes, eosq; rogatos, fortè requirat, videat, ut tot adhibeat, quot res exigit, & illos rogari curet.
19. In renunciatione Senatus consulti Velleiani, tres testes adhiberi debent. leg. antiquam. parag. final. C. ad S. C. Velleian.
20. Sic in confessione creditoris, confitentis se recepisse tale debitum, cuius obligatio præcesserat in scriptis.
21. Item, in confessione debitoris absentis, sibi solutum esse, & numeratum tale debitum confitentis. In utroq; casu requiruntur quinque testes. Auth. rogati. C. de testib.
22. In repudio requiruntur octo testes. Et in his casibus oportet testes rogatos esse.
23. In causis Testamentorum, & circa ultimas voluntates, siue illæ in Instrumento scripto, siue Nuncupatio fiat, cōsiderabit Notarius, primùm personam testatoris, an adhuc sani sit sensus, & intelligibiliter, vel loqui, vel scribere, aut utrunq; pariter possit.

24. Si

24. Si ab intellectu alienus, & impedita sit lingua, quæ voluntatem illius referre, & exprimere omnino non queat, haud debet illius nomine, qui iam ferè mortuū loco habendus est, ullam voluntatē ultimam conscribendam suscipere.
25. Dein obseruabit, an septem testes adsint, ad hoc rogati, & requisiti, qui in testamentis pro testibus admitti queant, & sint idonei.
26. Debet etiam probè notas habere, & institutionis, & cuiusuis substitutionis, siue ea vulgaris, pupillaris, exemplaris, siue breuiloqua, aut compendiosa fuerit, peculiare formulas, & propria cuiusq; verba.
27. Sic & fideicommissorum, diuersorum legatorum, conditionum, & similium proprietates in formalibus.
28. Verborum quoq; directorum, communiū, & obliquorū, vim ac differentiam scire, & obseruare debet, cū permultum in illis situm sit. Sæpe enim in hanc partem grauissimè peccatur ab imperitis Notarijs, qui dum imprudentes, vulgares formulas sequuntur, non rarò contractus, & ultimas voluntates hominum peruertunt, interdum & subuertunt. Hinc

ARTIS NOTARIATVS

magnæ deim oriuntur quæstiones, dubitationes, controuersia, & lites.

29. In Iudicialibus Consistoriorum, consuetudines & usus obseruare necesse est. Sunt nanque varij, & diuersi. Quare ad certâ considerationem adduci, & peculiaribus notis comprehendi non possunt. Reliqua docebit usus, & diligens æmulatio, imitatioq; doctorum in hac arte. Nos tamen in fine huius tractatus plura, quæ potissimum necessaria videbuntur, annectemus, ut rudibus ingenijs proffit admonitio. Nunc ad artem ipsam accedamus.

Circa quæ ergo potissimum Ars
Notariatus versatur?

Vt plurimum circa tria. Contractus, vltimas voluntates, & Instrumenta.

Potestne Notarius suo officio satisfacere, si hæc tria mediocriter intelligat?

Optandum esset, & apprimè vtile, sicut supra meminimus, Notarium quàm maximam iuris peritiam, & cognitionem legum habere, sed tamen si desint alia, & hæc saltem iura, quæ ad prædicta tria genera pertinent, rectè, diligenterq;

genterq; didicerit, officio suo satisfacere mediocriter poterit.

DE CONTRACTIBVS.

Quid ergo est Contractus?

Contractus est duorum, vel plurium in idem consensus. Aut, Est legitima partiū conuentio, aut re, aut verbis, aut simul utroque, aut literis, aut solo consensu constans. Et sic facta conuentio, dicitur contractus.

Habentne omnes contractus eandem appellationem?

Non habent. Transeunt enim quidam contractus à generali appellatione, in aliud speciale, & proprium nomen.

Qui sunt isti?

Qui re scilicet interueniente fiunt. Vt, mutuum, commodatum, depositum, pignus.

Quæ verbis fiunt conuentionis, quid?

Quædam etiam verbis factæ conuentiones, in aliud nomen transeunt, ut stipulatio, pollicitatio, nouatio, delegatio.

Quæ

ARTIS NOTARIATVS

Quæ verò ex literis nascitur
obligatio?

*Ea in sua manet appellatione, vt ex literis
esse dicatur.*

Contractus autem, qui ex solo
consensu oriuntur, qui
sunt?

*Specialia habent nomina, vt, Emptio, Ven-
ditio, Locatio, Conductio, Mandatum, Socie-
tas, Nuptia.*

Tales contractus quomodo vul-
gò vocantur?

*Nominati, tanquam illi, qui suis appellatio-
nibus, extra generale nomen contractuum, ac-
cipiuntur.*

Sunt ne plures contractus?

*Sunt et alij contractus, qui quamuis sub ge-
nerali appellatione maneant, nec transeant in
alia nomina, tamen nihilominus, cum in illis
subsit causa obligationis, nascitur ex illis obli-
gatio, tanquam ex legitimis conuentionibus.*
Atq;

Atq; proinde etiam actio, & acceptio. Solent autem pactiones horum contractuum, his ferè verbis discerni. Do ut des. Do ut facias. Facio ut des. Facio ut facias. Ac dicuntur quidem tales contractus innominati.

Quare innominati?

Sic dicuntur, non quòd omnino nullis nominibus notentur, sed quòd illæ ipsæ appellationes, quas quidam inter eos habent, tam sunt generales, ut uni soli contractui non conveniant.

Exempli gratia dic aliquid.

Vt permutatio, est cõtractus innominatus, quia eius appellatio, non ad certum commercium, sed generaliter ad omnes contractus, qui non solo consensu, sed mutua rerum collatione fiunt, trahi potest. Numeratur & transactio inter contractus innominatos, quia nomen eius generale est, ad omnem litis, inter partes, compositionem.

Possuntne omnes homines promiscuè, sineq; discrimine, contrahere?

Sunt

ARTIS NOTARIATVS

Sunt quidam, quos iure constat non posse contractus validos celebrare, Tales habentur furiosi, mente capti, pupilli, infantes, seu infantia proximi.

Quid si furiosus ad sanam mentem redierit?

Ferunt eum, qui semel furere cœpisset, per totam prorsus vitam non præsumi ad sanam mentem redire, nisi contrarium apertè videatur, sicut supra etiam meminimus, citata l. ambiguitatem. C. de usufruct.

Suntne & alij his similes?

Idem de ebris esto iudicium, durante ebrietate. Quia furiosis æquiparantur.

De Religiosis, administrationem non habentibus, sine licentia suorum superiorum, si contrahere velint, idem sentiendum est. Nam mundo mortui censentur. Et sic de similibus.

Res autem omnes, sine differentia, in contractum venire possunt?

Multæ sunt res, quæ si alienare eas cupias, in contractum venire non possunt, ut sunt res sacræ omnes, diuino cultui dedicatæ. Similiter

Et res religiosæ, quales sunt, sepulchra, & cæmeteria. Item, Reipublicæ, & vniuersitatis res, cuiusmodi sunt, muri ciuitatum, portæ, theatra, & alia loca publica. Talia enim in commercio hominum non sunt, nisi in certis casibus, iure expressis.

Qui ergo contractus sunt
liciti?

Omnes, qui de iure nõ reperiuntur prohibiti.

Qui verò prohibiti sunt?

Prohibentur cõtractus vsurarij, Symoniaci, & qui contra bonos mores sunt, vt super homicidio, furto, diffidatione, adulterio, lenocinio, raptu virginum, viduarum, vel monialium, aut alio quouis delicto. Similiter & qui cõtra canonicas, & legitimas sanctiones fiunt, vt super Matrimonio mulieris, virũ habetis, vel è contra. Aut super matrimonio in gradu prohibito, vel affinitate coniunctorum, seu in matrimonio non ritè dissoluendo.

Prohibetur etiam omnis contractus, in quo dolus, fraus, metus, minæ, coactio, vel pactio illicita intercedit.

Similiter etiam omnis contractus, in quo aliquis machinatur quippiam contra honorem, dignitatem, vel maiestatem Regiam, Imperatoriam, aut Papalem. De similibus idem esto iudicium. Caueant ergo Notarij, ne super
huiusmodi

ARTIS NOTARIATVS

huiusmodi illicitis, & prohibitis contractibus instrumenta conficiant, pro quocunq; etiam salario, quantumuis magno, sibi promisso, si modo ipsis sua cordi est salus.

Sed quid, si per iuris ignorantiam, fortè Notarius aliquis hîc impingat?

Caueat sibi inquam, latet anguis in herba. Si enim accusetur, & conuincatur, quòd in contractu, vel actu prohibito, instrumentum, vel instrumenta fecerit, criminaliter puniri potest, nec vllò pacto eum iuris ignorantia, quæ alioqui nemini patrocinator, nec quenquam excusat, tuebitur.

Fortassè & simulati contractus huc petinent?

Omnino. Atq; idcirco hoc loco monendi etiam sunt Notarij, ne partibus contrahere volentibus, dent consilium, aut fenestram aperiant, materiamq; ministrent, simulata & ficticia instrumenta fabricandi, præsertim in præiudicium tertij. Talia enim facientes, suas onerant conscientias, & præter infamiam, quam inde reportant, tenentur ad interesse parti læsæ.

Con-

Contractus coram Notario, & testibus celebrati, quando fortiuntur effectum?

Contractus celebrati non fortiuntur effectum, nisi cum in scripturas sunt redacti. Debet autem huiusmodi scriptura, ad mundum, quod aiunt, esse depicta, absoluta, & partibus lecta.

Quare ad mundum dicitur?

Immunda enim scriptura, est vituperosa, & suspecta. intelligitur autem & scriptura immunda esse, & suspecta, si charta diuersis manibus scripta sit.

Cur absoluta, & partibus lecta?

Quia partes, auditis quæ à Notario lecta sunt, debent suo assensu ea, quæ à Notario prælecta sunt, approbare. Sed hic obseruandum est, quòd Notarius non percurrendo, aut verba præcipitando, sicut pleriq; faciunt, sed distinctè, & ordine, quæ ab ipso sunt concepta, partibus prælegere: & si qua inter cætera fortè obscuriora se offerant, interpretationem, explanationemq; addere debeat. Quòd si partes deim

D

ARTIS NOTARIATVS

approbent lecta, tunc contractus dicitur absolutus, & censetur esse perfectus.

Habentne locum in hoc tractatu, de contractibus, quatuor causæ, sicut in alijs rebus?

Causas dicis, Efficientem, materialem, formalem, & finalē. Omnino & hæc quatuor causæ in omni perfecto contractu concurrunt.

Cedo obsecro quo pacto?

Efficiens causa in contractibus, sunt ipsæ partes contrahentes.

Materialis, est res, de qua agitur, seu quæ in contractum venit.

Formalis, est ipsius contractus ordo, forma, & dispositio.

Finalis, est ipsa partium intentio, consiliū, meta, & finis, quò tendunt.

Hæc sunt scholastica, & meo quidem arbitrato, non vsque adeò necessaria, quàm docta.

Quid tu mihi gannis. Contraria, mi vir, verior est sententia. Peccatur enim in omni contractu, in quo aliqua dictarū quatuor causarum deficit.

Quare

Quare hoc?

Quia partes contrahentes, aut sunt tales, quæ contractum istiusmodi, qui intenditur, celebrare, & imire non possunt.

Aut res de qua contrahitur, in contractum talem cadere non potest.

Aut contractus ipse debitam formam, quam natura ipsius requirit, non habet.

Aut finis, & intentio illius contractus, partiumque contrahentium, est illicitus, & à iure reprobatus.

Atque talis contractus, sic peccans, est invalidus. Inde sequitur, quod Notarius illum recipere, & scribere prohibetur.

Quid est pactum?

Ad cognitionem specierum, debet precedere cognitio generis, iuxta Bartol. l. i. ff. de rebus creditis. Itaque priusquam de singulis contractibus, ex quibus oritur obligatio, plura agamus, de pactioibus in genere quædam annotabimus.

Pactum itaque, est duorum, pluriusve, in idem placitum & consensus.

Quare hanc conventionis appellationem, generalem dicis?

Quia ad omnia pertinet, de quibus negotij contrahendi, transigendi que causa, consentiunt, qui inter se agunt. l. i. ff. de pactis.

ARTIS NOTARIATVS

Ex pactis, & contractibus oriuntur
obligationes, Quid ergo
est obligatio?

*Est iuris vinculum, quo quisq., quod debet,
secundum recepta iura soluere cogitur.*

Obligatio quotuplex est?

*Obligationum alia naturalis tantum, alia
civilis tantum, alia naturalis, & civilis simul.*

Naturalis obligatio tantum
quæ est?

*Est, quæ solo naturalis æquitatis vinculo
nos obligat, & ad cuius præstandi necessitatem,
civilis iure non abstringimur, qualis est obliga-
tio remunerationum, quæ æquitas vocatur.
l. sed & si. parag. consuluit. ff. de petit. hæredi.
Item ratio, qua continentur omnes contractus,
(videlicet, promissa esse præstanda) est natu-
ralis. Itaque contractus dicuntur esse de iure
gentium. l. ex hoc iure. ff. de iusti. & iur. Nam
naturaliter omnes homines ita iudicant, quòd
promissa sint præstanda. Sunt igitur obligatio-
nes contractuum, naturales, quatenus natura-
lis æquitatis iudicio probantur, sed civiles, qua-
tenus iure positivo publicè prodita sunt. Hinc
Barto.*

Barto. in l. si non sortem. ff. de conditio. indebiti, dicit, obligationem naturalem tantum oriri ex contractu, cui lex nec assistat, nec resistat.

Obligatio tantum civilis,
quæ est?

Civilis tantum dicitur, ad quam adstringimur, sola autoritate iuris positiui, in re, quam natura permisit esse liberam. Sic cautum est l. in contracti. Cod. de non numerata pecunia. Ut si quis alicui dedisset chirographum, de accepta pecunia, cum speraret certò illum daturum, & postea tamen is non numerarit eam, ne detur ei exceptio non numerata pecuniæ, si biennio in iudicio non questus sit, de non accepta pecunia. Itaque, qui sic dedit chirographum, tenetur obligatione civili, ad soluendum hoc, quod chirographum testatur eum accepisse, quanquam Naturalis æquitas antea noluerit, ut solueret id, quod non accepit, sed quia infra biennium non opposuit exceptionem, quod facere licuisset, si voluisset, vult iam civilis autoritas, & constitutio, ut sibi imputet, quod elapso biennio, plus chirographo, quam sibi credatur, & ob id numerare cogatur. Nam hoc ea causa sancitum est, ne infinita fieret occasio negandi improbis, pecuniam non esse acceptam. Est igitur

ARTIS NOTARIATVS

tur literarum obligatio, in tali casu ciuilibis tantum, quia ex ciuili necessitate tantum ad eam adstringimur.

Naturalis, & ciuilibis obligatio simul, quæ est?

Est ubi utraq, obligatio concurrit, scilicet, persona, quæ de iure contrahere potest, & dispositio legis. Nam obligatio, cui lex accedit, ea cum fuit naturalis, fit ciuilibis, aut naturalis, & ciuilibis simul, ut, qui biennio, de non numerata pecunia, non excepit, naturaliter, & ciuilibiter simul tenetur. Atq, ideo, ut cuncta breuiter comprehendamus, Naturalis obligatio tantum est, quam sola mens, & ratio, absq, legis autoritate, nobis dicitur, & ea fit primum ex legis dispositione ciuilibis, dein ex occasione, data ab homine, quia sic euentu fit, & accidit, scilicet, quod qui potuit excipere, non excepit, fit naturalis, & ciuilibis simul, cum legis publica approbatione.

Hæ obligationes, quæ naturales, & ciuiles simul sunt, quomodo diuiduntur?

Obligationum naturalium, & ciuiliū simul, alia est ex contractu, alia ex quasi contractu, alia ex delicto, alia ex quasi delicto.

Ex

Ex contractu quæ est?

Ea scilicet, quæ precio contrahitur, & quæ ex ipso precio, & contractu descendit. Ut emptio, venditio, locatio, conductio, donatio, & similia.

Obligationum ex contractu quot sunt species?

Quatuor. Aut enim literis, aut consensu, aut re, aut verbis contrahuntur.

Quomodo obligatio contrahitur literis?

Literis contrahitur obligatio, quando aliquis misit literas, ex causa recipiendi mutui, quod tamen non accepit, sed se accepturum sperat, spe sibi de futura numeratione prolixè facta. Hinc vigore istiusmodi literarum seu chirographi, si infra biennium, de non numerata pecunia, non exceperit, lapso biennio tenetur naturaliter, & civiliter, ut supra dictum est.

Quo pacto consensu contrahitur obligatio?

Consensu solo contrahitur obligatio, ut in nuptiis, societate, mandato, conductione, locatione, venditione, &c.

Quibus modis Re contrahitur obligatio?

ARTIS NOTARIATVS

Quinq. Scilicet, Primò ex mutui datione, quod consistit in his rebus, quæ pondere, numero, mensuraue constant.

Secundò, ex indebito, quod est, si quis per errorem soluit.

Tertiò, ex commodato, quod est, si cui res, nulla mercede accepta, vel constituta, utenda datur.

Quartò, ex deposito, quod est, si cui res aliqua custodienda datur.

Quintò, ex pignore, quod est, si creditori à debitore res pignori datur.

Quibus modis contrahitur obligatio verbis?

Interrogatione, & responsione, cum quid dari, fieriue nobis stipulamur, unde etiam stipulationes dicuntur.

Quot modis hoc fieri solet?

Aliquando contrahitur obligatio purè, aliquando in diem, aliquando sub conditione.

Purè quomodo contrahitur?

Purè contrahitur obligatio, quando ut datur aliquid, promittitur, non appposito certo die, vel conditione. Ut, Promitto tibi decem,
ex

ex causa mutui. Hic purè contrahitur obligatio, & fit debitum in continenti, quod promissum est. sed tamen ita, vt non prius fiat numeratio, quàm id commodè à me fieri possit.

In diem quo pacto contrahitur obligatio?

Quando in contractu certa dies statuitur, & nominatur, ad aliquid faciendum. Vt, promitto tibi, me ad pascha decem daturum esse. Hic facta promissione, in continenti debitor factus es, non tamen potest à te quicquam petere is, cui promissisti, nisi adueniente die statuto, & nominatim expresso.

Sub conditione, quomodo fit obligatio?

Cùm aliquid hypotheticè promittitur, certa lege, & conditione, qua pendente, non oritur obligatio, vel actio, secus autem, conditione subsecuta. Vt, Si nauis ex Portugallia venerit, dabo.

Quomodo obligatio nascitur ex quasi contractu?

D 5

ARTIS NOTARIATVS

Ex quasi contractu obligatio est, cum quis gerit alterius negotium, sine ipsius mandato, ut tutores, curatores, & similes personæ faciunt. Hi enim non contraxerunt cum illis, quorum negotia gesserunt, unde non tenentur ex contractu, sed quasi contractu.

Quomodo ex delicto oritur obligatio?

Quando quis furto, rapina, adulterio, aut iniuria aliquem afficit, & lædit, tunc ex delicto tenetur.

Quo pacto ex quasi delicto?

Quando aliquis directè non deliquit, sed quasi, ut quando è domo sua, quam inhabitat, aliquid effusum, vel eiectum est, quod alteri nocuit. *Institu. de obligat. quæ ex quasi deli. nascun. in princip.*

Suprà dictum est, obligationes, quæ verbis, interrogatione scilicet, & responsione contrahuntur, etiam Stipulationes dici. Quid idcirco est stipulatio?

Est, ut Pomponius definit, verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum, factum

facturum se, quod interrogatus est, respondet. l. 5. parag. stipulatio. ff. de verbo. obligationibus. Vel

Stipulatio est contractus verbalis, constans interrogatione, & responsione, ad promissionem aliquam respicientibus.

Quomodo stipulationes dividuntur?

Aliae sunt Categoricalae, aliae Hypotheticae, vel conditionales, affirmatiuae, aut negatiuae, aliae utiles, aliae inutiles. Utuntur & alijs Divisionibus Iureconsulti, ad quas discendas, Notarium ad institutionum Iuris elementa remittimus. Obseruet autem in his omnibus nouellus Notarius usum & consuetudinem locorum, in quibus agit, & officium suum exercet.

Quid est autem consuetudo?

Consuetudo est usus rationabilis, competentis tempore praescriptus, vel firmatus, nullo actu contrario interruptus, binario actu, seu contradictorio iudicio, vel quod non extet memoria, inductus, usumq; communi utentium comprobatus. Sic Hostiensis consuetudinem definiuit.

Consuetudinis autoritas quae est?

Tanta

ARTIS NOTARIATVS

Tanta quidem publicæ consuetudinis autoritas, & ius est, ut moribus utentium approbata, deficiente lege, pro lege suscipiatur ac habeatur. l. de quibus. parag. inueterata. ff. de legib. & senatusconsult. Et sicut lex manifesto, ita consuetudo tacito consensu populi existit.

Mala consuetudo, an pro lege ferenda est?

Considerandum hoc loco, quòd nõ omne id, quod alicubi consuetum est, statim pro iure habendum sit. Nam si qua consuetudo prorsus repugnet naturæ, & iudicio rationis, ea tanquã beluina ferocia, detestanda, & fugienda est. l. quod non ratione. ff. de legibus. & senatusconsult. & c. veritate. dist. 8. Qualis consuetudo fuit Persarum, in consultandis grauissimis rebus, cum essent temulenti. Item Tauroscytharum, in mactandis peregrinis, quos fortè hospitio exceperant.

Vnde oritur consuetudo?

Consuetudo non oritur ex eo, quod casu, aut temerè fit in aliqua republ. sed quod communi obseruatione, in perpetuum usum suscipitur. c. consuetudo. dist. 1.

Indu-

Inducunt ne multa exempla
consuetudinis, pro,
bationem?

Quamuis ad inducendam consuetudinem
frequens actus requiratur, tamen non sufficit
ad eius probationem, adducere multorum ex-
empla. Non enim exemplis, sed legibus, id est,
institutis, communi suffragio populi approba-
tis, iudicandum est. l. nemo. C. de senten. & in-
terlo. omn. iud. Quare non ex numero exemplo-
rum, sed ex consensu morum, colligenda est con-
suetudo. Atq; ideo ubi consensus morum est,
ibi sufficit allegare, semel atq; iterum, esse ali-
quid factum. Nam in tali casu Doctores con-
tendunt, frequenter factum dici posse, quod
vel bis tantum accidisse deprehenditur, Arg.
l. 2. C. de episco. & cler.

Quid præterea requiritur, ut valida
sit consuetudo?

Requiritur etiam, ut longo tempore, nimi-
rum, decem annis, ut minimum, durarit con-
sensus morum, quem consuetudinis autoritate
obtinere, & defendere cupimus, & volumus.
Nam consuetudinem necesse est, esse præscri-
ptam. c. ultim. extr. de consue. Itaq; neq; locum
habet

ARTIS NOTARIATVS

habet consuetudo, nisi in re præscriptibili. c. illud, distin. 93. Plura vide apud Cy. circa tit. C. de lon. consue. & Bart. in l. de quibus. ff. de ll. & S. C.

De Beneficijs, seu defensionibus, per quas innatur personæ, pro quibus introductæ sunt, ne obligationibus contractis teneantur, nisi ijs renunciauerint, infra ordine dicemus, nunc ad Testamentorum explanationem properabimus.

DE TESTAMENTIS.

Quid est Testamentum?

Testamentum est voluntatis nostræ iustæ sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. l. 1. ff. de Testamentis.

Quid præcipuè obseruandum est in hac testamenti definitione?

Præcipuè obseruetur clausula, qua dicitur, Testamentum fieri cum institutione hæredis. Quia sine hæredis institutione, non valet testamentum. Et excluduntur hac differentia, omnes aliæ voluntates ultimæ, ut sunt codicilli, legatum, fideicommissum, donatio causa mortis facta, quæ itidem, atq; testamentum, dici possunt,

possunt, iusta voluntatis nostrae sententia, de eo, quod post mortem nostram fieri volumus, sed in illis haeres institui non potest, iuxta l. non codicillum. C. de testamen. & annotata in gloss. cir. l. i. ff. eod.

Potestne aliquis sibimet, condito testamento, legem ponere, à qua recedere non liceat?

Nemo in testamento, quod aliquando condidit, legem sibi ita imponere potest, ut ab hoc ipso testamento recedere nunquam liceat. Ambulatoria enim, & mutabilis est voluntas hominis, usque ad mortem, & vitae exitum.

Testamentum unde dicitur?

Dicitur quasi mentis testatio, vires recipiens post testatoris monumentum.

Quot sunt testamentorum genera?

Apud veteres varia fuerunt testamentorum differentiae. Verum quia tales in usu esse desierunt, duo nobis reliqua sunt testamentorum genera, quorum alterum, quod solenniter fit omnibus legitimis observationibus adhibitis, vocabulo generis, sed significatione specifica, dicitur testamentum. Alterum vero, quod minus solenniter fit, vocatur codicillus.

Testa-

ARTIS NOTARIATVS

Testamenti solennis quot
sunt species?

*Duc. Aut enim Testamentum in literas
mittitur, & scriptum testamentum vocatur.
Aut viua voce testatoris profertur, & testa-
mentum non scriptum, seu nuncupatiuū, qua-
si nominatim proditū, & publicatum, dicitur.*

Testamentum solenne quod
est?

*Solenne vocatur, quod fit cum aliqua so-
lennitate, vel scripturæ, vel declarationis co-
ram magistratu.*

In testamento solenni scripto,
quæ potissimūm requi-
runtur?

*In Testamento solenni scripto, hæc maximè
requiruntur. Habilitas testatoris. Institutio
certi hæredis. Habilitas hæredis. Testes regu-
lariter septem. Rogatio testium præcedens. Iu-
sta scriptura testamenti. Iustæ subscriptiones.
Obsignationes. Continuatio actus.*

Habilitas

Habilitas testatoris quæ intelligenda est?

*In Testamentis semper consideranda est persona testatoris. Quia alij sunt testabiles, alij in-
testabiles.*

Qui ergo sunt testabiles?

Omnes homines, qui à iure nō prohibentur.

Qui autem prohibentur?

De non testabilibus, aut idoneis ad testandum, aut qui testari in iure prohibentur, extant hi versiculi, ad iuuandam memoriā scripti:

*Testari nequeunt Impubes, Religiosus,
Morti damnatus, & sub patre filius, obses,
Prodigus, & stultus, dubius, seruus, furiosus,
Crimine damnatus, cum muto surdus, & ille,
Qui maiestatem læsit, cæcum quoq; iungas.*

Adde his bānitos, simul & captos apud hostes.

Sed in his capitibus peculiare concurrunt descriptiones & circumstantiæ, de quibus alibi copiosius scribitur. l. hac consultissima. C. qui testa. face. poss. & ibi dd.

Hæredis institutionem quomodo intelligam?

E

ARTIS NOTARIATVS

Hæredis institutio consistit in eo, ut & cōstituat^r aliquis hæres, & nomen eius exprimat^r. Atq; ut eiusmodi institutio fiat, vel purè, vel sub conditione possibili.

Hæredisabilitas quæ requiritur?

Vt nimirum sit aptus, ad adeundam de iure hæreditatem.

Numerus testium regularis, septenario comprehensus, quo pacto accipiendus?

Vt scilicet ad omne minus, septem testes legitimè, & regulariter adhibeantur. l. hæredes palàm. parag. penul. ff. de testa.

Rogatio testium præcedens, quomodo se habet?

In testibus testamentarijs omnino requiritur, ut sint rogati à testatore, non transeuntes, vel fortuiti. Alioqui testamentum est nullū. Autenti rogati. & l. hac consultissima. & l. testium. C. de testament & 3. quæst. 9. c. testes. parag. de his. Requiritur item, ut sint masculi, omni exceptione maiores. Eatenus excluduntur, mulier, impubes, furiosus, mutus, surdus, interdīctus bonis, damnatus de hæresi, damnatus de crimine famoso, manifestus vsurarius.

rarius, infamis, existens in potestate testatoris, vel habens testatorem in potestate, domesticus testatoris, hæres scriptus, coniunctus hæredi scripto, intestabilis.

Iusta scriptura testamenti quæ intelligitur?

Cum scilicet scriptum est testamentum in membrana bona, munda, & solida, sine vitijs, erroribus, maculis, & rasuris, iuxta authenticam formam, et ad exemplum doctorum, diuq; in hac arte exercitatorum Notariorum, & tabellionum, quos nouelli Notarij sedulo imitari studebunt. Nec enim melius quisquã hac parte præcipi potest. In usu enim, hæc & similia omnia, ut plurimum consistunt.

De iusta subscriptione, quæstionem adiungo?

Iusta subscriptio in his duobus consistit, ut & testator, & testes subscribant. Si tamen testator scribere non potest, licitum est, ut alius nomine eius subscribat: ita tamen, ut is sit extra testes, numero scilicet octauus.

Obsignationes quomodo fieri debent?

In obsignatione requiritur, ut sit sigillum verè signatoriũ, veros characteres continens.

ARTIS NOTARIATVS

Sed alioqui licitum est, alieno sigillo vti, si proprium quis non habeat.

Continuatio actus, quo pacto intelligitur?

Hoc nimirum denotatur, vt supradicta omnia, de rogatione testium, subscriptione, ob signatione, & similia, in praesentia Notarij, & testium, vnicò contextu, vno eodemq; tempore, antequam ipse testator, vel aliquis ex testibus, inde recedat, in continenti conficiantur, et fiant. Nisi enim hæc, ita, vt dictum est, facta fuerint, vim solennis testamenti scripti habere non possunt. Ita est textus ad literam in l. hac consultissima. & l. cum antiquitas. C. de testamen. & quemadmodum testamen. ordinentur, vbi traditur forma conficiendi testamenti in scriptis. Vide Instit. de testam. ordinandis.

In testamento nuncupatiuo quæ requiruntur?

Requiruntur ferè eadem, quæ suprà, habitas testatoris, expressa nuncupatio hæredis, habitas hæredis, testes septem, vt plurimum, habitas testium, rogatio testium præcedens, de quibus iam dictum est.

Ergo,

Ergo, quod de septem testibus dicitur,
regulare est in scriptis, & non
in scriptis Testamentis?

*Fallit in quibusdam, scilicet in testamento
caci, ubi octo testes requiruntur. l. hac consul-
tissima. C. qui testam. fac. possunt. Fallit item
in testamento rustici, ubi, quando in pagis tot
idonei testes inueniri non possunt, sufficit quin-
que esse adhibitos l. ultim. C. de testam. Sic in
testamento militis in bello & exercitu, suffici-
unt duo testes. l. milites. C. de testam. militis.*

Nunquid Notarius pro teste com-
putari potest?

*Potest. Sed tamen tutius est, legitimo testi-
numero. uti, Notario non computato.*

Quibus de causis, Testamentum fit
inualidum, aut nullum?

*Testamentum fit inualidum, & nullum,
quatuor potissimum de causis. Primò, si testa-
tor non fuit habilis ad testandum. Secundò, si
heredem non capacem, aut omnino nullum in-
stituit. Tertio, si præterijt iam natum, quem
instituere heredem, vel exheredare debuit.
Quartò, si non sit legitimus numerus testium
legitimorum, & rogatorum.*

ARTIS NOTARIATVS

Testamentum quomodo fieri potest.
ita vt nulli tenor eius inno-
scat, testatore vi-
uente?

*His modis, & rationibus, quod annotare
operæ precium est. Si testator dispositionem su-
am velit cæleri, vsque ad supremū vitæ suæ
halitum, consilium est, vt faciat testamentum
in scriptis, iuxta doctrinam suprapositam. De-
inde, vt sua manu testamentum scribat, eamq;
scripturam apud ædem aliquam sacram, aut
alium quempiam tutum locum deponat, &
postea Notarius coram testibus scribat, quòd
Sempronius fecit Testamentum, & disposuit,
prout continetur in scheda deposita in loco
sacro, aut alibi, & valebit testamentum, quia
quicquid continetur in illa scriptura, ad quam
est facta relatio, in testamento intelligitur con-
tineri l. asse toto. ff. de hare. instit.*

Quid autem post testatoris
mortem?

*Oportebit tamen, testatore mortuo, saltem
per comparationem literarū, recognosci scri-
pturam testatoris. Vt per Bart. in l. si ita scri-
psero. ff. de con. & demon.*

Regu-

Regulariter tamen necesse est, testes recognoscentes scripturam, præsentes fuisse, dum scriberetur, iuxta parag. si quis igitur. in authen. de instr. cautela & fide. Hic nodus quomodo soluitur?

Quamuis hoc, quod dixisti, necesse sit regulariter in alijs, tamen hoc casu id non est necessarium ad comparationem faciendam, videlicet, quòd testes recognoscentes schedulam, fuerint præsentes, cū testator scriberet. Quia scriptura, & schedula, per ipsum testatorē approbata est, ut patet ex dictis, & allegatis per Alex. consil. 4. Attentis narratis. & consil. 114. Visa scriptura. libr. 7.

Potestne idem & alia ratione fieri?

Potest etiam hoc modo. Scilicet, ut testator sua manu scribat, vel per fidum Notarium, suam voluntatem scribi, & redigi in Protocolum, ac folia testamenti claudi, & signari faciat, atq; corā testibus declaret, se testari, prout continetur in scriptura illa protocolli clausa. Et de hoc Notarius rogetur, ac fiat publicum Instrumentum. Constat enim, valere voluntatem testatoris implicitam, non minus quàm explicitam, si voluntas per scripturam

ARTIS NOTARIATVS

aliquam declaratur. d. l. si ita scripsero. cum ibi traditis per Doctores.

Facile in tali Testamento oriretur
suspicio de falso?

*In tali testamento publico, & clauso, non
merit suspicio falsitatis committenda, & hæc
scriptura efficacior erit, quàm ea, quæ compa-
rationis adminiculo indiget, ut per Paul. de
Cast. in. d. l. hac consultissima. para. per nuncu-
pationem. Et Soci. consil. 173. Reuerendæ. col-
la. 2. & 3.*

Quare Testamentum nuncupatiuum
appellatur, non scriptum, cum ta-
men non minus, quàm te-
stamentum solenne
scribatur?

*Nuncupatiuum, et sine scriptis appellatur,
eo quòd in illo testatoris, hæredis, & legatario-
rum nomina, & omnia, quæ in eo continentur,
coram testibus nuncupantur, id est, manife-
stantur, & dicitur sine scriptis, hoc est, subscri-
ptione testium, & alijs solennitatibus, quæ re-
quiruntur in testamento in scriptis factò. Nam
etiamsi Testamenta nuncupatiua, non minus,
quàm solennia, redigantur in scripta, tamen
nihilò*

nihil plus operatur hæc scriptura, quàm quòd talis vltimæ voluntatis articuli, probatione vltiori opus nõ habent. Ideo scienda est cautela, vt in Instrumento addatur, quòd testator nuncupatiuum, & non scriptum testamentũ, condere voluerit. Ita est gloss. in d.l. hac consultissima. parag. per nuncupationem. in ver. sine scriptura Specu. in titu de instrumento. editione. parag. compendiosè transcurrimus. ver. ad huius autem materiæ.

Codicillus quid est?

Codicillus est Testamentum imperfectum, carens solennitatibus testamentorum, in quo non fit recta institutio hæredis, sed tantũ fideicommissaria hæreditas relinquitur.

Vnde nomen habent Codicilli?

Sic vocantur, quòd olim vt plurimum scribebantur, vel in codicibus acceptorum, & expensarum, vel alioqui in charta aliqua.

Quot sunt codicillorum genera?

Quatuor. Ante testamentum. Cum testamento. Post testamentum. Et ab intestato.

ARTIS NOTARIATVS
Codicilli quomodo fiunt?

Aliàs in scriptis, aliàs sine scriptis.

Quid de codicillis, ante testamen-
tum factis sentiendum est?

*In codicillis, ante Testamentum factis, olim
requirebatur, ut in testamento sequente, ex-
pressè confirmarentur. Sed hodie sufficit ta-
cita voluntas. l. conficiuntur. ff. de iure codi-
cillorum.*

Quid de illis, qui ab intestato, &
sine scriptis fiunt?

*In Codicillis ab intestato, & sine scriptis, si-
cut & in scriptis, requiritur, ut conuocentur
quinque testes, in quibus etiam fœmina, & alij
obiter aduenientes, non rogati esse possunt, ut
declaretur eis voluntas, ut instituatur hæres,
ut testator sit testabilis, habens testamenti fa-
ctionem actiuam, & hæres sit idoneus, habens
testamenti factionem passiuam.*

Qui ergo possunt facere co-
dicillos?

*Nemo codicillos facere potest, nisi cui per-
missum est, & Testamentum condere. l. diuus.
parag. codicillus. ff. de iure codicillo.*

Est

Estne autem licitum, plures codicillos instituire?

Omnino licitū est, et omnes aequè valent, quatenus non sunt contrarij.

Quid autem, si sint contrarij?

Si sint contrarij, iam tum statur à posteriori Codicillo.

Requiruntur ne ad constitutionem Codicillorum & aliæ solennitates, utpote obsignationes, aut subscriptiones testium?

Non requiritur obsignatio, nec subscriptio testium, nisi fortè codicilli scripto concipiantur. Nam in scriptis codicillis, Theodosius exigit, ut nomina testium subnotentur. l. vlti. parag. fin. C. de testa.

Quare sic approbarunt Codicillos Imperatores, ut hac prærogatiua cæteras ultimas voluntates superarent?

Codicilli sunt recepti, ne cuiusq; voluntati in extremis deesset gratificandi amicis copia, de bonis, quæ post se relinqueret. Ideo namque et Imperatores voluerunt, Codicillo-
rum

ARTIS NOTARIATVS

rum ius, paucioribus solennitatibus impeditū, ne quis desiderare, in prodenda vltima sua voluntate, facile aliquid posset, utq; qui testamentum non condidisset, Codicillos instituere posset, cum alioqui idem, ex parte testatus, & ex parte intestatus, decedere regulariter non possit. parag. neq; Institu. de hæredi. instituen.

Tutius ergo est, relinquere aliquid per Codicillos, quàm per Testamentum?

Maximè. Nec enim tam facile reijciuntur Codicilli, quàm Testamenta. Quare ius codicillorum, propter facilitatem observationis in illis condendis, in multo, & vario vsu est. l. conficiuntur. parag. si post factum. ff. de iure codicillorum.

Fertur clausula codicillaris, Si non valet iure Testamenti, valeat iure codicillorum, aut quocunq; iure melius valere poterit. Hæc clausula, quid operatur, aut quã vim habet?

Cum superstiosè ac seuerè exigentur solennitates testamentorum, ne itaq; ob quamvis earum

earum negligentiam, facile euerti iudicia vltimarum voluntatum possent, receptum est, vt ad cauendum hoc ipsum, testamēta hac clausula munirentur. l. similes, qui destinauerat. ff. de testamen. milita.

Cur codicillaris clausula dicitur, cum ea in codicillis non vtamur?

Sic dicitur, non quod eius in codicillis vsus fit, sed quia metu infirmitatis testamentorum solennium, ad iura codicillorum, minus solennitatem requirentia, per eam fit recursus, vt testamēta eò referantur. Quis autem, & quam varius sit huius clausulæ effectus, explicat Bartol. cir. l. i. ff. de iure codicillorum.

Quo pacto testamēta infirmitur, vel confirmantur?

Testamēta alia sunt valida, & authentica, alia inualida. & vitiosa.

Valida, siue authentica, quæ dicuntur?

Ea nimirum, in quibus omnia ita sunt obseruata, & constituta, vt abrogari non possint.

Inualida & vitiosa, quomodo accipiuntur?

Inua-

ARTIS NOTARIATVS

Inualida vel vitiosa, alia sunt de iure, alia de facto.

Inualida de iure, quæ dicuntur?

Vitiosa seu inualida de iure dicuntur, in quibus non sunt seruatae solennitates, aut quæ odiose, & litis causa, sunt facta.

Inualida de facto, quæ?

Inualida de facto sunt, quæ ratione sequentis actionis abrogantur. Hic obiter notanda sunt Synonyma, abrogari, rumpi, infirmari, irritum fieri, quæ omnia idem ferè significant.

Inualida de facto quotuplicia sunt?

Alia abrogata sunt ab ipso testatore, alia ab hærede, alia à iudice.

Ratione testatoris quomodo fit abrogatio?

Abrogatio testamenti, ratione testatoris, tribus ferè fit modis. Vel per posterius testamentum, vel per adoptionem sequentem, vel per capitis diminutionem in testatore, quàm diu durat diminutio.

Ab hærede quomodo fit abrogatio?

Ab

Ab hærede fit, quando vel moritur ante aditionem, vel non vult esse hæres, vel non implet conditionem.

A Iudice quomodo?

A Iudice fit abrogatio, quando in casu que rela, cognita causa, sententiam fert contra testatorem.

Ad testatorem redi, & dic, quomodo per posterius testamentum fiat abrogatio prioris?

Sciendum hîc est, Testamenta statim ut condita sunt, non dici esse firma, aut irrevocabilia. Nam cuiusq; voluntas ad supremum vitæ exitum, ambulatoria manet. l. 4. ff. de adimen. lega. Itaq; donec testator habere potest animum mutandi testamenti, pro non confirmato illud habetur. Neq; potest quidem ista libertas, mutandæ ante obitum voluntatis, ullis privatis pactis alicui eripi. l. pactum quod dotali. C. de pactis. Nemo enim eam sibi legem potest dicere, ut à priore Testamento non liceat recedere. l. si quis. in principio. ff. de lega. 3. Quare testatoris morte Testamenta confirmari rectè dicuntur, quia tum demum facultas aliud quàm voluit constituendi de rebus suis, illi negatur. Nam ideò quoq; ultimi

mas

ARTIS NOTARIATVS

mas voluntates leges prohibent violari, quia nihil tam debeat hominibus, quam ut firmum habeatur id, cuius mutandi non datur porro arbitrium. l. i. C. de sacrosanct. eccle.

Itaque reuocare Testamenta in vita, quoties libet, licet?

Nemini ea libertas eripi potest, sicut supra meminimus, Nam hoc naturale est, ut iisdem modis quodq; dissoluatur, quibus colligatum est. l. nihil tam naturale. ff. de regu. iur.

Ratione adoptionis sequentis, quomodo fit abrogatio?

Si testator adoptet eum, qui illi successurus ab intestato erat, perinde ac si ex legitimis nuptijs illi natus esset, rumpitur testamentum. Idem obseruatur, si quis arroget extraneum. l. cum adoptionis. C. de adoptionibus.

Per capitis diminutionem quo pacto fit abrogatio?

Minima etiam capitis diminutione rumpuntur testamenta, quanto magis ergo irrita reddi cogitandum est, per maximam, & mediam capitis diminutionem, quibus tota libertas amittitur. Itaq; qui sunt deportati, aut in metallum,

metallum, aut alioqui capitali iudicio damna-
ti, illorum testamenta rumpuntur, quia inte-
stabiles fiunt. iuxta tit. C. de bon. damna.

Quo pacto codicilli rum-
puntur?

Codicilli iisdem modis infirmantur, quibus
testamenta, ut, agnatione sui hæredis rumpi-
tur Testamentum, rumpuntur & codicilli, ad
illud relati. ff. & C. de codicillis.

Ad quem deficiente testamento, aut
codicillis, hæreditas de-
uoluitur?

Communis glossa est & Doctorum, iuxta l.
hæreditas, Cod. de his, quibus ut indignis hæ-
reditas aufertur, hæc distinctio, quòd si defici-
at testamentum, quia testator non obseruaue-
rit debitas solennitates, & aliud testamentum
ante, vel post illud, non fecerit, tunc succe-
dant, qui non condito testamento successuri il-
li fuerant. Si verò aliud condiderit testamen-
tum solenne, tum illi gaudeant successione, qui
in eo instituti sunt. l. hac consultiss. parag. pe-
nult. C. de testam.

Quando autem fiscus succe-
dit?

F

ARTIS NOTARIATVS

Si solenniter est conditum testamentum, sed postea testator constanter testatus sit, unū vel omnes ex institutis, non mereri voluntatem suam, succedit fiscus. l. hæred. C. de his, quibus ut indig. hæred. auferitur. Hæc doctrina utilis est, & non fuit hoc loco prætereunda silentio.

Hoc testamentum videtur iniustum esse.

Videtur quidem iniustum, quia testator excludere eos voluit, quibus hæreditas etiam ab intestato debebatur, sed iure sic sancitum est, itaque nobis legum constitutio iniusta videri non debet. Etsi enim excludi, seu præteriri in testamento non debeant, quos necesse est instituere, tamen iura puniunt ingratitude, & permittunt, ut à successione hæreditatis excludantur ingrati. Et tales multæ recensentur in iure causæ, ob quas non statim coguntur testatores, quosdam hæredes legitimos, aut instituere, aut exhæredare: sed absq; testamenti vitio fieri potest, ut prætereantur, vel eorum mentio in Testamento fiat, scilicet, quòd instituti sint indigni hæreditate, ut supra positum est. Sic calumniator testamenti, amittit hæreditatem. l. pol & l. alia causa. C. de his, quibus ut indig. hæred. aufer. & parag. ingratitude. Authen. de nupt. Monendi tamen hic sunt

sunt discentes, quòd hæreditas non tam facile aufertur, atque cætera in Testamento relicta, seu legata.

Quæ testamenta dicuntur inofficiosa?

Illa nimirum, quibus ritè conditis, iniquè exclusi successione ab intestato videmur. Hinc querela inofficiosi testamenti, subsidiarium quoddam auxilium est, quo præparamus nobis aditum ad petendam hæreditatem, de qua exclusi sumus.

Sed de his, & similibus prolixiores hoc loco non erimus, quia Isagogen instituimus. Remittimus ergo exercitiores Notarios, ad institutiones Imperatorias, & iusta volumina, ac integras tractationes, seu repetitiones Doctorum. Omitto quoq; hic consultò multa, de substitutionibus, de fideicommissis, de exhæredatione liberorum, & parentum, atque id genus plura, quæ alibi docentur. Nunc pauca de Donationibus annectemus.

DE DONATIONIBVS.

Quid est Donatio?

Donatio est rei licite, nullo iure cogente, mera liberalitate facta collatio, iuxta l. donari. ff. de donationibus. Vel, Est actus liberalitatis, transferens dominiũ rei donatæ, in dominum.

ARTIS NOTARIATVS

Quot sunt donationum genera?

Duo potissimum. Donatio inter viuos, & donatio causa mortis.

Donatio inter viuos quæ est?

Donatio inter viuos est collatio, seu donatio rei alicuius, facta sine conditione mortis, ut in donationibus propter nuptias, & alijs.

Donatio causa mortis quæ est?

Est donatio facta in suspitione, aut metu mortis, ea conditione, ut donatore moriente, donatarius accipiat, quod donatum est.

Ad donationem inter viuos, quid requiritur?

Scilicet, ut fiat liberaliter, ut fiat absolute, & sine conditione, utq; si summa excesserit quingentos aureos, apud competentem iudicem fiat insinuatio superflui, & publicetur donatio, adhibitis personis publicis: ita tamen, ut literis donatio illa mandetur. l. in donationibus. C. eod.

Quid ad donationem causa mortis requiritur?

Hoc videlicet, ut fiat in ea mentio mortis.
Est

Est ne locus retractationi, seu pœnitentiæ in Donationibus?

*In donatione inter vivos, locus aliquis est reuocationi, retractationi, seu pœnitentiæ. Sed ad eam tamen requiritur casus ingrati-
tudinis, & cognitio causæ.*

Donatio causa mortis quomodo
extinguitur?

*Donatio causa mortis extinguitur tribus modis, per restitutionem valetudinis donato-
ris, per pœnitentiam, vel reuocationem donan-
tis, per mortem donatarij præuenientem.*

*Restat, ut de tertia parte nostri instituti,
& suscepti laboris agamus.*

DE INSTRUMENTORVM Confectione.

Quid est Instrumentum?

*Instrumentum est scriptura solennis, & ri-
gè ordinata, per Authenticæ personæ manum,
perennis memoriæ causa, publicè confecta.*

Vnde dicitur?

*Sic appellatur, quasi instruens hominū men-
tes, & docens, quæ acta, quæue transacta inter
homines sint, elapsis temporibus. c. fin. de do. &*

ARTIS NOTARIATVS

contu. & c. si quis. de cler. 7. q. 2. & c. si quis presbyt. de reb. Eccles. non alienand. & Authen. si quis in alieno. C. de edendo.

Species instrumentorum quot
sunt?

*Duc. Aliud publicum & Authenticum,
aliud priuatum.*

Publicum, & Authenticum In-
strumentum, quod di-
citur?

Quod publicam habet auctoritatem. Nam publicum est, quod per manum publicam Notarij est scriptum. Est enim Notarius persona publica, è scribarũ vulgo, in aliquanto digniore, & altiore gradum, publica auctoritate summorũ Magistratuũ, euectus, lege Orphanotrophos. Cod. de episc. & cleri. & c. 2. c. inter dilectos. & c. scripta, de instr.

Sunt ne plura scripta publica?

Dicuntur & ea scripta publica, quæ in iudicijs, auctoritate iudicis exemplificata, & authenticata, apud acta publica scribuntur. Item scripta, quæ de Archivio, seu armario publico producta sunt. l. publicati. C. de testam. & l. ultim. C. de re iud. c. ad audientiam. de præscript. & l. Celsus. ff. de probatio,

Pri-

Priuatum Instrumentum
quod est?

Instrumentum priuatum, quæuis scriptura alia dicitur, nõ conformis ijs, de quibus proximè dictum est.

Quot harum scripturarum sunt
species?

Tres. Nam aliquando facis scripturam tibi tantum, aliquando alteri tantum, aliquando tam tibi, quam alteri.

Scriptura quam tibi facis, quid
valet?

Scripturæ, quam in præiudicium alterius, tibi & pro te ipse fecisti, nulla fides habetur. l. exemplo. & l. non epistolis. Cod. de p̄bationib.

Scriptura verò quam contra te
fecisti, quid virium
habet?

Scripturæ autem, quam fecisti alij cõtra te, puta, creditor tuo, de ijs, quæ ab ipso accepisti, creditur contra te. l. publica Meua. ff. depositi, vel contrà. & c. omnes fæminæ. 27. q. 1.

Sed quid scriptura, quam tibi &
alijs fecisti?

ARTIS NOTARIATVS

Tibi, & alijs fecisti scripturam, utpote, libellum rationum tuarū, illi nonnunquam creditur. l. si quis ex argentarijs. l. quendam. para. nummularios. ff. de edendo. Item chirographo, in causa depositi, inter depositarium & deponentem statur. Sic & creditur quibusdam literis, eiusdem tenoris, & sententiæ, iisdem verbis dupliciter, in eadem charta scriptis, & per medium circumflexè incis, interuenientibus aliquot syllabis, in ea ipsa medietatis incisæ parte, quæ colligi deim haudquaquam possunt, nisi utraque literarum incisarum pars denuò coniungatur, ubi tunc videtur, an incisio, & syllabæ conueniant, quod moris, & consuetudinis est, in quibusdam Germaniæ partibus. d. l. publica. ff. depositi. & l. si chirographum. ff. de proba.

Quid regulariter de priuatis scripturis sentiunt Iura?

Regulariter in personalibus, priuatæ scripturæ non credi, iura decernunt, nisi contra eum, qui scripsit, Vel tamen, si omnino aliqua ei fides adhiberi debeat, ut hoc non fiat, nisi fortè sit à testibus, non minus tribus, subscripta. Vide Specul. de instrum. editio. para. nunc dicendum vers. 5. & l. instrumenta, & l. rationes. C. de proba. & l. scripturas. C. qui potiores in pignore habeantur.

Quo

Quo pacto autem publico instru-
mento creditur?

*Publico Instrumento absq, omni adminicu-
lo creditur, dummodo illud appareat sine can-
cellatura, rasura, vel innouatione primæ figu-
ræ, seu signi Notariatus, aut quòd non sit dele-
tum, aut abolitum quippiam, vel alioqui eti-
am non subiectum alicui de vitijs, & defecti-
bus, quos ponit Specul. in allegato tit. de in-
strum. editio. quæ omnia & singula possent
suspicionem inducere, contra instrumenti fi-
dem. Authen. de fide instrum. para. si verò
moriatur collat. 2. & c. ex literis, & c. inter di-
lectos, eod tit. & c. licet de fal.*

Quot testes oportet in Instrumen-
to producere?

*Autoritatem Notarij æquipollere duobus
testibus, dixerunt Speculator in præallegato
titul. Odofredus, & Bern. c. quoniam contra
proba. l. in exercendis. C. de fide instrum.*

Sed quid hinc considerandum est, vt
omnia, quod ad testes at-
tinet, sint tuta?

*Natura nimirum cōtractus. Vt si sit Testa-
mentum, in quo requiruntur expressè septem:*

F s

ARTIS NOTARIATVS

Si codicillus, aut donatio causa mortis, quinque testes, ne paucioribus utamur, eò quòd Notarius duos testes representare potest. Nam hic solennitates accuratè obseruanda sunt, ut vitetur periculũ, & nõ detur occasio disputationi, quæ præteriri poterat, quando legitimus testiũ numerus haberi potuit, non numerato Notario. In alijs, ubi lex vel Canon expressè non dicit, pluribus testibus in aliqua causa opus esse, regulare est, quòd in qualibet causa, duo testes sufficiant, iuxta verbũ Christi, In ore duorũ, aut triũ, stat omne verbũ. Nam pluralis locutio, duorũ numero continetur. Si tamen tres, aut plures adhibiti fuerint, prodesse citius, quàm obesse poterit, nec propterea vitatur actus. Quia quæ superabundant, non solent contractus vitare, aut illis nocere. 2. q. 3. c. 1. & c. seq. & 35. quæst. 7. c. fin. 4. quæ. 3. c. si quis testes. para. ubi numerus. ff. de testibus, ubi extr eodem, capit. in omni, capit. licet vniuersis, vide Specu. de numero testiũ. Inuenias autem et certos in iure casus, in quibus quimarius, aut senarius testiũ numerus adhiberi solet. In quibusdam etiam octo, undecim, quindecim, septēdecim, & aliquando plures testes requiruntur. Sed de his peculiarem tractatũ hic instituire, non est opus, cùm tales casus se rarissimè offerant. Et remittimus lectorem ad Doctorum iustos de his rebus tractatus.

Vsitatum

Vsitatum nunc est, duos plerunq; Notarios ad vnum, eundemq; contractum, aut actum adhibere, quid hoc placet?

Hic obseruabis, quando ad aliquem contractum, vel actum celebrandū, duo Notarij adhibentur, quòd tunc quatuor testibus ad minus opus sit, scilicet, vt quilibet Notarius habeat duos testes ad minus. Id sic intelligendum est, vt vterque Notarius possit dare instrumentum in eodem contractu, si opus sit & requiratur. Hoc autem fieri nequiret, si duo tantum testes in tali actu adhibiti fuissent. Hoc nō omnes peræquè Notarij aduertūt, seu capiunt.

Testes sæpius repelli à testimonio, & reijci posse audiui. Est ne igitur opus, vt testium delectus aliquis habeatur, vel sufficit omnes promiscuè, sineq; discrimine, in testimonium vocari?

Quando pluribus de causis, testes à perhibendis testimonijs depelli, reijciq; posse constat, idcirco imprimis cautos, circumspectosq; esse Notarios conuenit, vt sciant, quos, & quales testes in suis contractibus, & instrumentis admoueant, aut conscribant. Et quia multi laboris,

ARTIS NOTARIATVS

laboris, prolixumq; foret, hoc loco omnes, & singulas exceptiones commemorare, atq; repetere, quæ testibus iure opponi possunt, hoc tantum hinc monere satis esse puto, ut testes sint boni, graues, & honesti viri, iustæ ætatis, non pueri, non deliri senes, non leues scurræ, sycophantæ, circulatores, aut infames. Non difficulter enim leues, & inconstantes homines subornari possunt, ut falsum, aut varium testimonium dicant, contra veritatem celebratorum contractuum, quod ubi fieret, tam Notario, quàm partibus, non parum ludibrii, contemptus, iacturæ, & detrimenti adferret.

Estne licitum, intendere probationem contra fidem Instrumenti?

Omnino. Nam regulare est, quòd contrariū eius, quod in Instrumento publico continetur, probari possit per testes. l. cum precibus. C. de proba. & l. optimam. parag. final. C. de contrahenda, & committen. stipula.

Quomodo hoc fieri solet?

Per totidem, aut eo amplius testes, quot contractus requirebat, de quo instrumentum confectum est. Hoc tamē in duobus casibus falli. l. antiqua. C. ad Velleianum. & l. si. C. arbitriū tutela.

tutela. & latius per Doctores, in l. generaliter.
C. de non numerata pecunia.

Nónne quidam Doctores híc con-
trarium tenent?

Quòd viua vox duorum testium, in nullo
casu validior sit publico Instrumento, Azo
dixit, eo quòd in multis casibus, probatio per
scripturam, & non testes, requiritur. Tales
casus enumerat Speculat. in titul. de instru-
ment. editio. in parag. restat videre. in vers.
quid si tantum vnus ex testibus. Et in quibus
contractibus scriptura sit de substantia. Vide l.
contractus. C. de fid. instrumen. l. Celsus. ff. de
probat. & magistralem glo. c. 1. de censi. lib. 6.

Publicum instrumentum quid in se
continere debet?

Instrumentum publicum debet in se conti-
nere narrationem, & extensionem, publicatio-
nemq; contractus, seu actus, coram se celebrati,
cum suis circumstantijs, & inductionibus.

Super quibus autem contractibus
Notarij conficere debent
Instrumenta?

Notarius super quocunq; negotio, & cōtra-
ctu,

ARTIS NOTARIATVS

Et, à iure, vel ab homine non prohibito, debite requisitus, poterit Instrumentũ facere, sed ita, vt suæ salutis, & honoris nõ sit immemor.

**Quid autem si perperam agat
Notarius?**

Notarius si ignarus iuris, & suæ salutis atque honoris, non satis memor extiterit, & de contractibus prohibitis instrumenta conficere, seu illis interesse, ausu temerario, attentaerit, pœnas legales incurret, & animæ detrimentũ non leue patietur.

Bona verba quæso.

Bona verba ais? Non bona sunt verba, quæ Hostiensis refert, dicens, Quod Notarij, qui super usuris, & contractibus usurarijs, seu quouis modo, in fraudem, & dolum alicuius initis, & à iure prohibitis, instrumenta conficiunt, periurij notam incurrant, eo quod iuraverunt, cum crearentur, se id nunquam commissuros esse. Periurij autem pœna est, vt infamis efficiatur is, qui periurium commisit, Ideoq; testificari aut testamenta conficere non potest. c. licet ex quadam. de testibus. Et omnis infamis propelli debet à quacunq; promotione, siue ea dignitas sit, siue ordo. Nam infamibus portæ dignitatum patere non debent. de regul. in. in. 6.

In

In quibus autem consistit publicatio instrumentorum?

Potissimum in his. Annis Domini, Indictione, die, mense, loco, contractu, Testibus, & nomine tabellionis. Additur & nomen Papae, vel Imperatoris, pro tempore regnantis.

Quo pacto ordimur Instrumenta?

Exordia plerumq; ab inuocatione nominis diuini sumi consueuerunt. Vt: In nomine Domini amen, aut simili modo.

Quid de anno Domini doces?

Deinde sequitur annus Domini, in hunc aut similem modum.

Anno Domini, aut, ab incarnatione Domini, & saluatoris nostri Iesu Christi, &c.

Indictionibus quomodo utimur?

De his supra dictum esse, meminisse oportet, ad qua te remittimus.

De Die, & Mense, quid mones?

Vt nominetur post indictionem, dies, mensis, in quo contractus, vel actus aliquis celebratus est.
Hoc

ARTIS NOTARIATVS

Hoc variè fit, iuxta terrarum cōsuetudinem. Germani vt plurimum ponunt, primo, secundo, tertio, aut quarto, & sic porrò, die mensis Maij, vel aliorum mensium. Hic operæ precium est scire, quot quilibet mensis dies, quot Calendas, quot Nonas, quot Idus habeat, quod vsitata Diaria, seu Calendaria docent, & nemini ignotum esse conuenit.

Dic etiam de loco.

Consequens est, vt etiam locus in Instrumento specificè ponatur, denotando, vbi actus, vel contractus celebratus sit. Videlicet, Actū in veteri Musarum colonia Erphordia, in Curia, quæ ad viridem angulum nuncupatur, in hypocausto, seu stuba maiore, &c.

Subiunge doctrinam de testibus.

Specificato loco, ponuntur & testes, aliquando per ablatiuum, Vt presentibus ibidem A. & B. testibus, ad hoc specialiter vocatis atque rogatis, vel requisitis. Aut ponitur per genitiuum. Vt, Acta fuere hæc in presentia C. & D. testium, ad hoc vocatorum & rogatorum. De similibus idem esto iudicium, quæ vsus docebit.

Estne

Est ne absolutè necessarium in omni
 contractu, actu, seu instrumento, ut
 apponat Notarius hæc verba,
 testes vocatos, & roga-
 tos esse?

*In omni contractu hoc de iure ita strictè nõ
 est necessarium, etiam si in instrumentis scriba-
 tur, presentibus testibus ad præmissa vocatis
 specialiter atq; rogatis. Hoc enim non præiudi-
 cat instrumento seu chartæ. Superflua enim
 regulariter non nocent. At in Testamentis,
 diuortijs, & confessione creditoris, affirman-
 tis, creditum sibi solutum esse, & in alijs con-
 tractibus, ubi ad probandum fortè procedi de-
 bet, exiguntur testes vocati & rogati. Nec
 obest, propter maiorem cautelam, in omni actu
 testes vocatos & rogatos esse. Vide Specula-
 torem, patrem praxeos, & alios Doctores.*

Quomodo autem intelligitur illud
 verbum, quòd testes debe-
 ant esse rogati?

*Intellige, Rogati, id est, certiorati, seu edo-
 cti, ad quid, & quare adhibeantur. Nec enim
 decet illos testes aduocare, qui fortuiti sunt,
 hoc est, qui fortè transeunt, & non audiuerunt,
 vel sciunt, quid inter partes actum sit, aut quid
 agatur.*

G

ARTIS NOTARIATVS

De numero testium fortasse nihil est, quod præter ea, quæ suprâ dicta sunt, moneas?

Suprà docuimus, vbi certus numerus testium, de iure, vel consuetudine, non est definitus, sufficiunt duo testes regulariter, postquam pluralis locutio duorum numero continetur. Ideò te ad superius dicta remitto.

Nomen, & cognomen Notarij, quomodo ponendum?

Post testes proximè sequitur Notarij nomē, & cognomen, cum ipsius signo, & autoritate Papali, vel Imperiali, qua est Notarius, & quòd rogatus ea scripserit, In hunc aut similem modum: Et ego Titius Petrutius, Moguntinensis Diocesis clericus, vel laicus, Sacra Apostolica, vel Imperiali autoritate Notarius, qui præmissis omnibus, et singulis præsens rogatus interfui, hoc instrumentum exinde confeci, scripsi, subscripsi, & publicavi, &c.

Oportet ne semper Notarium rogatum esse?

Hoc notandum est, quòd tabellio in subscriptione sua debet dicere, se rogatum fuisse, ut instrumentum faceret. Si enim non rogatus scriberet, suspectum se faceret. l. quæ omnia. ff. de

*ff. de procurato. authen. de tabellionibus. pa-
rag. fin. coll. 5. Quanquam in dubio semper præ-
sumitur, quòd Notarius sit rogatus. Si autem
id quispiam neget, tenetur ad probationem ne-
gatiuæ. l. fina. paragr. fin autem dubius. C. de
iure deliberandi.*

De nomine Papæ, aut Imperatoris,
suprà etiam mentionem
fecisti.

*Nomen quoque Papæ, vel Imperatoris, cu-
ius autoritate quis Notarius creatus est, poni
solet post indictionem, & diem mensis, unà cū
annotatione anni Pontificatus, vel Imperij
sui. Probatur in Authen. ut nomen Impera-
toris præponatur documentis. Colla. 5. Et in
his omnibus nouellus Notarius obseruet sty-
lum antiquorum & exercitatorum Notario-
rum, seu Tabellionum, quorum vestigijs ince-
dere oportet, donec usu confirmati, ipsi per
nosmet rectè omnia agere didicerimus. Ideoq̄
in tanta varietate, integra instrumentorū ex-
empla non subscribam, sed remittam nouitios,
& huius Artis Neoptolemos, seu Tyrones, ad
viva exempla doctorum, & multo usu appro-
batorum, & receptorum Protonotariorū, ubi
hæc omnia melius, quàm ex nostro præscripto,
discēt. Quomodo enim, in tanta varietate ne-
gociorum, ex vno, aut altero aliquo exemplo,*

ARTIS NOTARIATVS

omnium instrumentorū formæ disci possent?
Et sciunt homines docti, ubi artis præcepta
mediocriter perceperis, reliqua omnia in usu
ut plurimum consistere. Quare vobishorta-
tor sum, nouelli Notarij, siue per me siue per
alios viros clarissimos, Comites Palatinos,
creati sitis, ut usum præceptis diligenter ap-
plicetis, & peritiores in hac arte ad amussim
imitemini. Possumus enim vos in ordinem
Authenticorum Notariorum euehere, & di-
gnitatem publici officij, pro nostra autoritate,
& Priuilegio, vobis tribuere, Artem verò
& usum dare non possumus. Hæc nanq; ve-
stro marte, & industria ipsi comparabitis.

At signi quoq; facta ist mentio,
quomodo id accipiam?

Vsitatum est, ut quisq; Notarius peculiari
signo sui Notariatus utatur. Id aut ipsi sibi
deligunt, aut datur à creatore. Adiungunt
etiam plerumq; aliquam sententiam, vel pa-
ræmiam, loco Symboli, quod aiunt. Hoc ipsum
Notariatus signum ita è multis iudicio deligi
oportet, ut perpetuò maneat, ac retineatur, &
ne fortè post, pænitentia illius, aliud eligat
Notarius, quo utatur. Eo ipso enim facile ac-
cideret, ut non tantùm leuitatis, sed etiam de
falso argueretur. Nec mihi sanè quorundam
consuetudo placet, qui signis utuntur typo
im-

impressis. Melius est, signis manu ductis uti. Nam propterea vocantur signa manualia, handzeichen/die auß freier handt gezogen/ vnd gemacht sein sollen.

Monuisti, vt Notarius iam recens à foliis in forum productus, imitetur exercitatos, & veteres Tabelliones, quo artis formalia rectè discat, quod non, nisi assiduo & industrio vsu, fieri potest. Sed incultior, durior, & aridior plerunq; veterū stylus est, vt credam, quòd laudabile & vtile sit futurum, si Notarius in Instrumentorum suorum extensionibus det operam, & quantum possit, annitatur, vt copiosus & disertus videatur.

Pessima quorundam nostrī temporis Notariorum consuetudo est, qui dum copiosi et eloquentes haberi cupiunt, superflua & inutili verborum congerie instrumenta sua passim farciunt, & distendunt, ita, vt & nauseam doctis lectoribus, vel auditoribus moueant. Atq; non rarò hac ratione committitur, vt sicut dicitur, in multiloquio rarò peccatum de-

ARTIS NOTARIATVS

esse, ita per hanc garrulitatem, verbositatem, & vaniloquentiam, partes, de quarum corio luditur, miris tricis, & litibus parum cauti inuoluantur. Facilis enim lapsus est, si in prolixa oratione verbis, sine iudicio, & discrimine, ut quodq; in buccam venerit, positus, promiscuè utaris. Hinc leges monent, concinna breuitate utendum esse, quoniam prolixitas nimia, inquit lex, confundit ingenium hominis fragile. l. ampliolem. par. in refutatorijs. C. de appellationibus, & consultationibus. Iustinianus: In refutatorijs autem libellis, qui solènt maximè in sacro auditorio prudentissimorum procerum nostrorum recitari, caueant tam litigatores, quàm libellorum dictatores, verbosis uti adsertionibus, & ea, quæ iam perorata sunt, resuscitare. Et idem l. fina. C. de donationibus. Verba superflua, quæ in Donationibus poni solebant, penitus esse reijcienda censemus. Quid enim verbis opus est, quæ rerum effectus nullus sequitur.

Laudas ergo breuitatem in Instrumentis?

Laudo, at ita, ut ne, quod aiunt, præter casam, & dum prolixitatem vitare studet Notarius, vitia in contraria currat, sicut Horatius dixit, Breuis esse laboro, obscurus fio. Mediotutissimus ibis, ait ille. Abstineant ergo Notarij à

rij à verborum strepitu, & superflua profusione, ac inutili prolixitate, cogitētq; illud, quod vulgo tritū est: Gaudent breuitate moderni. Docta, & commoda breuitas semper fuit accepta, & grata prudentibus. In hoc adtendendus, & imitandus est mos, & stylus veterum, qui breuibus, & succinctis, at selectis, adq; rem tantūm facientibus verbis utebantur, & res arduas hoc pacto dilucidè, cautè, & prudenter explicabant.

Sed cūm hæc tempora longè sint alia, quàm maiorum nostrorum, & malitia hominum eoufq; excreuerit, vt maiore nunc, quàm vnquam antea, opus sit subtilitate, arte, & eloquentia, omnino conuenire videtur, vt huius temporis Instrumenta, nouis, & arte excogitatis clausulis fulciantur, munianturq;, quo malitiæ hominū tanto melius obuiari, eaq; retundi possit?

Rectè dicis, fateor, opus esse, hoc potissimum tempore, nasuto & malitioso, vt arte, & sollicita cura, in conficiendis instrumentis, quantū potes, utaris, ne contrahentes damno

ARTIS NOTARIATVS

inde afficiantur, aut litibus fortè deinceps inuoluantur. Alius alia ratione in scribendis Instrumentis ducitur. Plerisq, proluxa garrulitas, maioris salarij est aucupium. Sed valeant illi. Tu me, rectis, veri & boni, rationibus motus, sequere.

Perge ergo de alijs dicere, & quod supra de rasuris breuius dixisti, repete quæso, & dic clarius.

Repetam ergo, hoc loco, quando ita libet, & nunc penè in fine suscepti laboris sumus, ne & hac parte quicquam negligatur. Nam fateri necesse est, quòd inertes & pigri Notarij, hinc nò rarò peccent, & rasuras admittant, totumque actum sapius hoc pacto vitient. Caueant ergo summo studio Tabelliones, ne ullas rasuras in publicis Instrumentis seu chartis faciant. Hac nanq, ratione instrumentum de falso facile suspectum redditur.

Vix fieri posse credo, quin aliquando impingat Notarius, & in aliqua uocula erret scribendo, nunquid ob id tota charta reijcienda erit? Faci-

Facile error committitur, fateor, nec opus est, ob leue erratum, totam chartam abijcere. Rasura enim non admodum nocet, nisi sit notabilis, & in loco suspecto. Quare hoc tantum præcipue obseruet Notarius, ne in substantialibus, ubi facile suspitione incurritur, labatur, aut rasuras faciat.

Quæ nomina substantialia?

Substantialia uoco, Annum, diem, nomen Papæ, vel Imperatoris. Nomina item partium contrahentium, & designationes rerum, super quibus cõtrahitur. Item, si sit contractus Emptionis & Venditionis, precium, Si sit contractus obligationis, summa, siue quantitas, in obligatione deducta & posita. Et si partes se obligent alicui Curie, specialiter sit nomen illius Curie expressum. Sic & nomina testium, & nomen ipsius Notarij, & locus, ubi contractus celebratus fuit, & his similia.

**Quid si multas rasuras committat, & quasdam etiam uoculas omit-
tat Notarius?**

Et si rasurarum admissarum Notarius in fine Instrumenti mentionem facere, & ibidem

ARTIS NOTARIATVS

ditiones omissas ponere posset, tamen longè honestius & tutius est, totum Instrumentum de nouo reficere, & purius scribere, ne ulla macula deprehendi, aut calumniæ locus esse possit. Extra omnem enim dubij aleam positum est, quòd conspurcata rasuris, aut marginalibus intertextis futuris, charta vituperosa sit, & legentium obtutus offendat. Adde, quòd & Notarium inertem, oscitantemque, & ignauum, suæq; artis parum peritum arguat, & fidem instrumento debitam subtrahat. Nec sufficit, quod quidam faciunt, ut prima chartæ linea, super omnia sit munda, sed requiritur, & ad Notarij officium pertinet, ut totus contextus instrumenti, elegantibus literis quàm diligentissimè sit depictus, & in publicam formam redactus, ita ut obuiam eat lectori scriptura, & absq; omni difficultate, titubationeq; legi possit. Nec enim probo simiarum quarundam affectatam negligentiam impingendo, qua magnos plerosq; viros, qui malè pingunt, imitari volunt, quasi verò hoc laudi sit, & omnes doctos, malè pingere oporteat, cum ego multos, excellenter doctos nouerim, qui sæpiusculè deplorabant, se melius pingere in iuuentute non didicisse, & sibi ipsi vitio vertebat, quod ineptissimi homines laudi ducunt. Sed saniores hac iudiciorum deprauatione, & fantastica imaginatione non capiuntur.

tur.

tur, & quod veteres fecerunt, ut quàm optimè, elegantissimèq; pingant, sedulò operam dabunt. Hoc nanq; eruditioni nihil derogat, & multis ad ampliores conditiones, ac pinguiorem fortunã, maioresq; prouentus annuos consequendos, ansa, & occasio fuit.

Debetne quæuis temerè in scripturis suis, pro sua persona, quod ad cõtractus attinet, adserere
Notarius?

Hoc quoq; admoneri operæ precium est, ut in scripturis publicis, seu instrumentis, Notarij ea tantùm affirmant, vel adserant, de quibus certò, legitimeq; illis constant. Nihil enim quicquam pro sua, quod aiunt, persona, simpliciter, & stultè affirmare debent, sed adijcere semper hæc, aut similia verba, ut dixit, uti asseruit &c.

Confessiones autem partium securè potest apponere, eo modo, quo cõfitentur. Verbi gratia: Titius coram me Petrutio, Notario publico, cõfessus fuit, se à Sempronio, ex hac aut illa causa, recepisse centum, &c.

Quid si Notarius pecuniam vidisset, expediretne hoc addi?

Caveat

ARTIS NOTARIATVS

Caueat ne apponat hæc aut similia verba (realiter numerando, in præsentia mei Notarij, & testium infra scriptorum) nisi pecunia fuerit in præsentia sua, & testium, re ipsa verè numerata, & tradita. Fit nanq̄ non rarò, vt pecunia in sacculo vel cumulo tradatur, & nõ numeretur, quando partes asserunt, tantum pecuniæ tradi. In hoc casu multi Notarij errant, & possent ob hoc de falsò argui, si fortè de numeratione pecuniæ inter partes quæstio oriretur, & exceptio non numeratæ pecuniæ opponeretur.

Habeo gratiam, quòd ista mones, quia digna asterisco est cautela. Vt autem melius intelligam, oro vt de causis mutui, aliquanto fusius dicas, & materiam hanc explices?

Ea quæ dicta sunt, vt plurimum in contractu mutui, maximè quando usura interuenit, accidunt. Nam tunc mutuans interdum retinet lucrum, seu interesse primi anni, aut plus eo, atque recipiens mutuum, quia valde indigus fortassè est, & pauper, non contradicit, sed annuit, & consentit, propter affectionem, quam habet ad mutuum recipiendum. Item, si pars pecuniæ

pecunia confessata, in presentia Notarij reipsa numeretur, & de alia parte, quæ non numeratur, confessio fiat, quod eam debitor iam acceperit, Notarius de utroque mentionem faciat in instrumento. In hoc enim magnum vertitur periculum. Et notandum est, si pecunia non interuenerit, aut non sit numerata, quod tunc Notarius sit periurus, & puniri ob id debeat.

Quid autem, si de partium consensu ea fiant?

Notarius de partium voluntate non debet scribere numerationem falsam, vel numerum falsum. Nam aliud est exhibitio, seu numeratio, aliud, sic esse dici. Quia Notarius tantum de eo scribere debet, quod vidit. Quomodo autem scribere potest, se numerari vidisse pecuniam, quæ fuit in sacculo, seu marsupio, non visa.

Multi amphibologijs ludunt, nunquid & hoc Notario licitum est?

Caueant Amphibologias in suis Instrumentis Notarij. Id est, ne dubias sententias quæ duplicem sensum vel intellectum recipere, diuersamue interpretationem admittere possint, quando

ARTIS NOTARIATVS

quando structure vitio, quo verbum sit referendum, dubitatur, quemadmodum Pyrrho Oraculum respondit:

Aio te Aeacida Romanos vincere posse.

Hic utri victoria promittatur, incertum est. In his & similibus facile impingitur ab illis, qui recens è scholis ad Notariatus officium proruperunt, & se stellas cœli digito tangere posse putant, qui nondum se applicuerunt ad ea, ex quibus fluunt lac, & mel.

Quid de æquiucantibus iudicas?

Eadem hac ratione, qua Amphibologia, prohibentur etiam æquiucationes, quia & ex his redditur sententia dubia, nisi eis adiungantur aliæ dictiones, eas determinantes, & restringentes. Nam æquiucationes tolluntur per adiuncta. Atq; ut semel omnia dicamus, hoc operam dare Notarij, quantum omnino possunt, debent, ut omnes suas scripturas publicas, ordine, breuiter, & dilucidè, sine lōgis ambagibus conficiant, ac figuras, obscuritates, inuolucra, & verborum anfractus vitent, ita ut contractuū veritas euidenter, & clarè omnibus patefcatur, & appareat.

Vt

Vt eò breuior sit Notarius in suis Instrumentis, sæpius, quod puto, uti potest uoculis, (& cætera) quod multos facere passim uidemus. Nunquidè

Haudquaquam. Caueant enim omnes Notarij, ne his uoculis, breuibus quidem, at magni ponderis, & præiudicij, temerè utantur. Sed omnes potius contractuum clausulas, continentibus omnia pacta, acta, transacta, facta, dispositiones, & conuentiones, ad longum, si opus sit, & res exigat, ut partes conuenerunt, aut testator disposuit, absque & c. conscribant, & tantummodò in clausulis generalibus, quæ iuxta stylum cuiuslibet Notarij, absque ulla dubitatione & obscuritate intelligi, & extendi possint, prædictis uoculis utantur. Comprehenditur enim sub illis hoc, quod deficit, secundum consuetudinem, & modum loquendi in illo sermone, & materia, quæ tractatur. In publicis uerò chartis, uel instrumentis, nullo modo hisce dictionibus utantur, nisi fortè in eis alia quædam scriptura infereretur, quæ sæpius iam dictum & c. contineret.

Cum

ARTIS NOTARIATVS

Cùm sciam hunc laborem tuum, non alio consilio susceptum esse, quàm vt sit breuis institutio Tyronum, & nouitiorum in hac arte Notariatus, dic quæso, quid sit falsum, cuius iam toties mentio facta est?

Falsum, seu falsitas, est immutatio veritatis, cùm hoc pro vero intimatur, quod à veritate alienū est. Authen. Coll. 6. de instrumentorum caute. & c. in quandam. par. cæterum. ext. de celeb. mis.

Quot modis falsum committitur?

Tribus modis. Dicto, facto, & usu. Hæc tamen ita intelligenda sunt, quòd habeant locum, interueniente dolo, & non aliter.

Quibus artibus hoc falsi crimen, quàm cautissimè fugi & vitari potest?

Notum est, & iam suprà dictum, quòd Notarij præcipuè, & super omnia, cauere debeant, ne vlllo pacto falsum committant. Quare & opus est occasiones vitare, per quas fenestra aperiri, aut locus falsitati facilè dari possit. Inter has sunt numeri, quos sic scribimus. 1. 2.

3. 4. 5. 6.

3.4.5.6. aut i. ij. iij. iiij. v. vj. &c. In his facile falsitas exerceri potest, radendo, addendo, vel mutando, quod non fieret, si dictio, qua numerus exprimitur, suis literis tota scriberetur. Vt, Titius quinque, aut viginti aureos Seio numeravit. Si 5. sic scribas, facile ex quinque, si contrahas inferiorem numeri partem, 6. fient. Sic ex 20. absq; ulla notabili difficultate conficientur, 29. Tutius ergo est, tam Notario, quam partibus, ut vocula numerorum suis elementis integrè pingantur, propter vitandam suspicionem falsitatis, maximè in scripturis, & instrumentis publicis, notisq; originalibus, etsi nihilominus tamen scriptæ probent.

Hoc quoq; nunc mihi in mentem venit, ut quæram, Si Notarius alicui sit domesticus, familiaris, aut sanguine iunctus, nunquid eidem, siue Dominus aut herus is sit, siue propinquus, Instrumentum conficere potest?

Quid ni hoc liceat, si utrinq; partes in Notarium illum consenserint. Sed si actus sit talis, qui unam tantum partem spectet, ut si quis

H

ARTIS NOTARIATVS

protestetur, & id coram familiari, seu domestico, aut propinquo suo faciat, res suspitione non carebit, aut saltem plena ei fides non adhibebitur. Potest & sic responderi, quòd valeat Instrumentum, ab eiusmodi Notario confectum, dummodo non sit talis, cui seruiliter imperari possit. Vnde nobiles, Barones, & alij magnates, qui domi plerumq; Notarios alunt fouentq;, rogare eos ad conficienda Instrumenta, testamēta, & alia, liberè possunt, nec obest, quòd sint domestici & familiares. Ad hæc rectius intelligenda, vide Specula. in tit. de instrumentorum editione. paragr. Instrumenta publica qualiter impugnentur, & sup. de test. par. 1. ver. item excipitur quòd est domesticus, ubi dicit, quis propriè domesticus dicatur.

Quid de pluralitate instrumentorum,
ex vnico contractu extrahen-
dorum, sentis?

In contractibus vltimarum voluntatum, emptionis, donationis, Emphiteosis, quitationis, procurationis, emancipationis, tutela, curre, & aliarum similium rerum, nõ refert plura instrumenta extrahi, & extracta inueniri, cum id absque præiudicio & periculo partium queat. In alijs autem non item. Nam in contractu mutui, vnico tantum instrumento credi-
tor

tor cōtentus esse debet, nec potest quidem, etiam in casu, quo primū obligationis instrumentum sine fraude amisisset, absq, superioris auctoritate, & parte non vocata, aliud sibi à Notario confici. Hæc nanq, res, grauis esset præiudicij, si creditor duo, vel plura obligationis vnius Instrumenta haberet. Quid hic creditore beatius, infelicius autem debitore, qui ad singula Instrumenta soluere cogeretur?

DE RENUNCIATIONIBVS

Beneficiorum in publicis
Instrumentis.

Beneficium iuris quid est?

Beneficium iuris dicitur, speciale & singulare quoddam ius, à iure communi recedens, singulari quodam fauore, & clementia à pijs & beneficis Imperatoribus, vel personis, vel rebus, contra ius commune, cōcessum, et indultum, ut eo, tanquam defensione, & prærogatiua, utamur. Vel, Est specialis quædam indulgentia iuris, aliquid agendi, contra quam id regulariter alioqui iure communi permisum est. Huiusmodi Beneficia iuris, nunc Priuilegia vocantur, ac si dicas, Priuatas leges.

Beneficiorum, seu Priuilegiorum
differentiæ quæ sunt?

H 2

ARTIS NOTARIATVS

Priuilegiorum, seu Beneficiorum aliud est Personale, aliud Corporale, aliud Reale.

Personale Beneficium seu Priuilegium, quod est?

Personale est, quod principaliter personarum gratia conceditur.

Corporale quod est?

Corporale Priuilegium appellatur, quod alicui collegio concessum est. Vt sunt Priuilegia Vniuersitatum, Monasteriorum, Ciuitatum, &c.

Reale quod dicitur?

Reale dicitur, quod principaliter rerum cōseruandarum gratia datum est, ut est Priuilegium rerum Ecclesiasticarum. Authen. de non permutand. aut alienand. rebus Ecclesia.

Sunt ne plures differentia?

Sunt. Sed eas, breuitatis gratia, consultò prætereo. Hoc tantùm addam, quod utile est, & plurimū refert, hoc loco cōsiderare, an Beneficia sint odiosa, vel fauorabilia. Nam odiosa sunt restringenda, ea verò, quæ mero fauore sunt introducta & data, extendenda. Iux. c. odia. extr. de regul. iur. in 6. Ideoq; sciendum est, quòd beneficiorum seu defensionum iuris quædam

quædam in fauorem, quædam in odium introductæ sunt. Hinc est, quòd personæ, pro quibus hæ defensiones inuentæ sunt, per eas iuuantur, ne teneantur de obligationibus, quibus alioquin obnoxij essent.

Licet ne his omnibus pariter renunciare?

Etiam si regulare sit, quòd liceat beneficio, pro se introducto, renunciare, & renunciatio sic facta viribus subsistat, & valeat. l. si quis in scribendo, C. de pact. sunt tamen econtra quædam beneficia, quibus renunciari non potest: aut posito casu, quòd renunciatio sit facta, non impedit tamen, quo minus huiusmodi defensiones, & beneficia opponi queant. At de singulis breuiter videamus.

DE EPISTOLA DIUI Adriani.

1. Epistola Diui Adriani, quæ dicitur?

Epistola Diui Adriani ipsa, etiam si per se amplius hodie non extat, nihilominus tamen tenor eius in iure superest, & refertur in l. pe-

ARTIS NOTARIATVS

nul. C. de constituta pecunia. & l. si plures l. si dubitatur. ff. de fideiussoribus. Et est talis: Quando plures in eodem instrumento in solidum sunt obligati, & unus ex eis in solidum de tota summa, à creditore, tanquam fideiussor conuenitur, tunc is, contra quem actio instituta est, si omnes confideiussores sui, tempore litis cōtestatæ, sint soluendo, petere potest, ut actio inter eos diuidatur, & quilibet pro sua quota, & virili portione conueniatur. Et hoc fieri potest, quando huic Beneficio non est renunciatum. Vbi autem renunciatio facta est, locum non habet hæc defensio. Huic beneficio renunciari potest.

2. Beneficium nouæ constitutionis, de fideiussoribus, quod est?

Est, quod datur fideiussoribus, quo petere possunt, fideiussionis nomine cōuenti, ut principalis debitor prius conueniatur, et discutatur, antequam ad fideiussorem veniatur. Authen. de fideiussoribus. parag. i. colla. i. in prin. & Authent. presente utroq. C. de fideiussoribus. Huic beneficio si renunciatum fuerit, creditor fideiussorem prius cōuenire poterit, huius nouæ constitutionis beneficio. & l. sancimus. Authent. Presente. Et sciendum, quod huic quoq. beneficio renunciari possit.

3. Noua

3. Noua constitutio de duobus reis stipulandi, & promittendi, quæ est?

Beneficium nouæ constitutionis, de duobus reis stipulandi, & promittendi, est tale, per quod succurritur duob. reis, vel debitorib. ita ut possint petere, ne seorsim alter eorum in solidum, sed coniunctim vterque conueniatur. Quòd si facta sit renunciatio, quilibet eorum in solidum tenetur. l. 1. C. de duobus reis stipulan. & promittendi. Verùm huic etiam beneficio renunciari potest.

4. Cedendarum actionum Beneficium, quod est?

Constitutio Cedendarum actionum est, qua subuenitur fideiussori conuento, ita ut liceat illi postulare à creditore, ut sibi cedat actionem in principalem debitorem, & suos confideiussores. Quod si recuset, & nolit facere creditor, iam hic quoque fideiussor recusare solutionem potest, nisi huic beneficio renunciatum ab ipso fuerit. Debet enim creditor cæterorum nomina fideiussori vendere, qui in solidum soluere paratus est. l. fideiussoribus. ff. de fideiussoribus, & mandatoribus. Et hic renuntiatio locum habet. Hac quatuor Beneficio-

ARTIS NOTARIATVS

rū genera, iuxta doctrinam Speculatoris, sunt, quibus ut plurimum in contractuum Instrumentis renunciamus.

5. Cessionis bonorum beneficium, quod dicitur?

Est remedium, quo subuenitur illis, qui ære alieno grauati, non sunt soluendo. Et dicitur beneficium, seu remedium miserabile, quo is, qui omnibus suis bonis iam exutus est, & cessit, tantum in id liberatur, ne in carceres detrudatur, aut creditoribus suis lacerandus propinetur, ut sic dicam. Instituitur autem bonorum cessio hoc pacto, ut debitor conuocatis omnibus, & singulis creditoribus suis, significet, se oberatum, soluendo esse non posse, nisi creditores sibi inducias quinquennales gratis concedant, quas petat. Hic maior creditorū pars si assenserit, non attenditur, quid minoris partis vota, & sententiæ inferant. Si verò has quinquennij inducias impetrare à creditoribus non possit, postquam agnouit debita, cedat bonis. Effectus autem huius bonorum cessionis est, quòd dein amplius, ultra quàm possit, non conueniatur debitor, etiamsi postea ad pinguiorem fortunam deuenierit. l. qui bonis. & l. si debitores. ff. de cess. bono. & c. si res 14. quæst. 6. An verò huic beneficio renunciari possit, nec
ne,

ne, disceptatur. Sed communis Doctorum sententia & opinio fert, quòd renunciari huic beneficio non possit. Vide Bartol. in l. aliam. ff. soluto matrimonio. Idem tenet Bald. Instit. de Actio. in fin. & ibidem Iaso. remiss.

6. Capituli Odohardus, De Solutionibus, Beneficium, quod est?

Beneficium Capituli Odohardus, in gratiam ordinis clericalis introductum est, quanquam & eo laici interdum uti possunt. Eius tenor, & effectus est talis. Si Clericus aliquis casu ita ad paupertatem redactus, & ære alieno obrutus sit, ut maximè velit, soluendo esse non possit, quòd tunc excommunicari, aut alijs ecclesiasticis censuris molestari, aut vexari non debeat, sed quòd idoneam modò cautionem iuratoriæ præstare teneatur, se creditoribus suis sedulo satisfacturum, & debita soluturum esse, ubi pinguior sibi fortuna obuenerit. c. Odohardus. de solutionibus. Inanis enim est actio, quam excludit inopia rei. l. nam is. ff. de dolo. & l. Paulus. ff. quæ senten. sine appell. rescind. & c. olim. de restit. spolia. & c. Daibertum. 1. q. 7. Quia impossibile nulla obligatio est. Et qui nihil habet, nihil potest dare. Vide Panormitanum, & alios DD. ibidem ad longum.

ARTIS NOTARIATVS

7. Beneficium, ne quis ita præstare cogatur, vt egeat, quid ad rem facit?

Beneficio, ne quis cõdemnetur, nisi in quantum facere potest, id est, habita ratione, ne egeat, iurantur, releuanturq̃, peculiare quædam personæ, nimirum Pater, Mater, Maritus, Socer, Patronus, & donator, quando pro dote, aut donatione conueniuntur. Hi & similes, in iure prolixè expressi, hoc priuilegio gaudent, quòd semper ratio habenda sit, vt sic ab eis exigatur, ne egeant. l. Patronus ff. de re iudi. & l. ex diuerso parag. 1. ff. solu. matri. & l. 1. parag. cum autem. C. de rei uxoriæ actione & c. l. Ne fennius. in fin. & l. inter eos. parag. fin. ff. de re iudi. & in multis alijs legibus. Nec huic renunciat.

8. Beneficium, ne liber homo ob æs alienum obligetur, seu in seruitutem redigatur, quomodo habet?

In fauorem libertatis hoc beneficium introductum est, ne quis è libero seruus fieri cogatur, ob contractum æs alienum. l. ob æs alienum. C. de actionibus & obligationibus. & c. 2. ext. de pigno-

pignoribus, cum suis concordan. Et hinc notandum, quod libri studiosorum, sine quibus studia frigent, non obligentur ob res alienum. l. 1. C. de patrib. qui filios distraxerunt. Sic nec salaria seu stipendia aduocatorum & militum, à publico ipsis debita, obligantur. l. ne quis de corpore. c. de aduocat. diuers. iudi. Salicetus & alij Doctores. Huic non renunciatur.

9. Restitutionis Beneficium, quale iudicatur?

In integrum restitutionis Priuilegium competit minoribus viginti quinque annis, toto tempore minorennitatis, ac eo finito, infra quadriennium continuum, quo petere restitutionem possunt, si probent, se sua facilitate, & aduersarij calliditate laesos esse. l. minor. ff. de mino. 25. annis. & c. irreligiosam. distinct. 87. & l. 2. C. de his qui veni. æta. impe. & l. Sacramenta impuberum. C. si aduersus venditorem restitutio postuletur. Huic simpliciter non renunciatur.

10. Macedoniani Senatusconsulti Beneficium, quale?

Hoc Beneficium competit filiofamiliars, & præcipuè parti, quando filius pecuniam mutuò accepit, sine patris expressa, aut tacita voluntate.

ARTIS NOTARIATVS

tate. Hoc beneficio uti possunt, tam hæredes filij, aut fideiussores, & pater ipsius, quàm ipse filius, ne quicquam soluere cogantur creditori. Et introductum est in odium fœneratorum, à Macedone quodam sic dictum, qui suo quodam peculiari fœnore, tanquã pestis publica, & corruptela iuuentutis, sumptus suppeditabat ad luxuriam, & alias illicitas voluptates, contra voluntatem bonorum parentum. Et notandum hîc est, quòd hoc beneficium filio-familiàs & fideiussori, competit, non modò, dum est in potestate patris, verùm etiam postquam factus est sui iuris, quando etiam hæredi suo prodest. l. sed etsi pater. parag. non solum. ff. ad senatusconsultum Macedonianum. Huic non renunciatur.

11. Senatusconsulti Velleiani beneficium expone.

Hoc Senatusconsultum in fauorem mulierum, propter sexus fragilitatem, introductum est, ut cum mulieres pro aliquo intercedunt, vel se obligant, fideiubendo, mandando, constituendo, vel promittendo, non teneantur. l. fina. ff. ad Senatusconsultum Velleianum. & l. delegata. ff. de donationibus. & l. ultim. ff. ad S. C. Velleian. Cessat autem hoc beneficium, cum mulier renūciauit l. penul. ff. eodem. Renunciari enim huic beneficio potest.

12. Pri-

12. Priuilegium fori, quod appellatur?

Beneficium, seu Priuilegium fori, competit cuiq, ut sub iudice suo, & foro competenti conueniatur. Actor namq, tenetur sequi forum rei. c. si clericus. & c. cum sit generale. de foro competen. & l. 2. C. de iuris. omn. iud. & l. 1. ff. de alienatione iudicij mutandi & suscipiendi causa facta. Huic beneficio Clericus renunciare non potest, quia in fauorem ordinis iure Canonico introductum est. Laicus potest.

13. Feriarum Beneficium quale est?

In ferijs messium & vindemiarum, alijsq, ab Ecclesia indictis, & ubiq, gentium in Christiano orbe vsitatis, quando horrida praconis vox in Iudicijs silet, nemo in ius vocatur, nisi ferijs renunciatum sit, à partibus, quod saepe fieri solet, & de iure licitum est.

14. Quadrimestre Beneficium, quomodo interpretaberis?

*Et si is, qui damnatus est ad satisfaciendum actori, appellatione nō interposita, tenetur iam
re, &*

ARTIS NOTARIATVS

re, et iure ipso, iudicatum soluere, tamen potest, si vult, quadrimestri hoc beneficio uti, ut habeat spacium quatuor mensium, intra quod se ad solutionem parare, eamque præstare poterit. l. 4. para. si quis condemnatus. ff. de re iud. Est renunciabile.

15. Prouocationis, seu appellationis beneficium, in quo consistet?

Hoc Beneficium Prouocationis, seu Appellationis, valde antiquum est, et generi humano imprimis necessarium, et utile, Vlpiano teste. Appellationis enim remedio, condemnationis extinguitur pronuntiatio. l. 1. in fin. ff. ad S. C. Turpi. Et licet tantæ sit sanctitatis hoc Appellationis venerandū Priuilegium, ut ne Statuto quidem ullo tolli possit, tamen si partes velint iuri, pro se introducto, renunciare, licet id quidem, et prodest, ne lites procelentur. l. fin. de Appell.

16. Iuris Hypothecarum Beneficium, quid iuris habet?

Hoc Priuilegium uxori competit in bonis mariti. Nā omnia bona mariti, tacite sunt obligata, et hypothecata uxori, pro dote. Hinc est, quod si maritus forte bona sua vendere velit,

lit, emptores dant operam, ut uxori iuri hypothecarum renunciaret, quod facere potest, ita tamen, ut sufficienter admoneatur de hoc iure suo. Nam licitum est mulieribus ignorare iura. Vide l. cum tibi pro dote. C. qui potiores in pignore habeantur.

Idem Beneficium competit etiam creditori, si bona debitoris sint ei, tacite vel expresse, hypothecata. l. 2. C. qui potio. in pig. hab.

17. 18. Beneficia quanto minoris, & redhibitorium, quomodo intelliguntur?

Competunt emptoribus, contra venditores, ad rescindendos contractus, & restitutionem precij, propter res vitiosas venditas. Redhibere enim est facere, ut rursus habeat venditor, quod habuerat. Et quia reddendo id fiebat, idcirco redhibitio est appellata, quasi redditio. l. redhibere. & l. sciendum, in fin. cum l. seq. ff. de ædilitio edicto. Renunciatio in his locum habet.

19. Exceptio non numeratæ pecuniæ, quomodo accipienda?

Sæpe contingit, cautiones scriptas exponere creditoribus spe futura numerationis, quæ tamen

ARTIS NOTARIATVS

men non sequitur. Ne igitur debitor innocens lædatur, introductum est, in omnem euentum, hoc remedium, non numeratæ pecuniæ, seu rei non traditæ, vel receptæ. Competit igitur hoc beneficium exceptionis ei, qui spe futuræ numerationis, se frustra obligauit. l. in cōtractib. C. de non numerata pecunia. Huic etiam beneficio non renunciatur.

Summatim & alia Priuilegia perstringe.

Sunt similia multa beneficia, quæ longum foret singula ad unguem excutere. Isagogen pro incipientibus, & nouellis Notarijs, huius artis tyronibus, instituimus. Reliqua ex Institutionū Iustiniani Imperatoris iusta tractatione, & alijs legum, ac Iurisperitorum libris, disci volumus. Sunt autem & alia similia beneficia, quæ, ut summa tantum iam rerum fastigia sequamur, & attingamus, percurremus obiter.

20. Exceptio non solutæ pecuniæ, quando creditor suo debitori dedit Quitantiam, sicut appellant, spe futuræ solutionis, quæ certò erat promissa, sed non est subsecuta. l. in contractibus. C. de non numer. pecu. Non renunciatur.

21. Item, Exceptio non numeratæ dotis. Eandem habet rationem, cum reliquis exceptionibus,

nibus, proximè positis : nec huic renunciatur.
 22. Exceptio doli mali, & fraudis. Fraus enim
 & dolus nemini debent patrocinari. l. 1. ff. de
 dolo malo. Vide l. contractus. ff. de re iud. Re-
 nunciatur.

23. Exceptio, Quod vi, metusue causa factum
 est. Hæc sub exceptione doli mali comprehen-
 ditur. Hinc prætor dixit, Quod vi, metusue
 causa factum est, ratum non habebō. Hæc ex-
 ceptio metus causa in rem scripta est, ut non
 inspiciamus, an is, qui agit, metus causa fecerit
 aliquid, sed an omnino metus causa factum sit
 in hac re à quocunq, nō tantum ab eo, qui agit.
 l. apud Celsum. paragr. Metus causa exceptio-
 nem. ff. de doli mali, & metus exceptione. & l.
 fina. ff. quod metus causa. De vi intentata, Im-
 peratores pronunciant. l. 1. C. Vnde vi. & l. ut
 vim. ff. de iusti. & iure. & l. scientiam. para.
 qui cum. ff. ad l. Aquil. & l. 1. paragr. 1. & pa-
 rag. vim vi repellere. ff. de vi & vi armata. l.
 3. paragr. eum igitur. ff. eod. tit.

24. Exceptio, Non sic celebrati contractus.
 Rei non sic gestæ. Aliter fuisse dictum, quàm
 scriptum, vel renunciatum, & econtrà. Re-
 nunciatur.

25. Beneficium conditionis indebiti, locum
 habet, quando aliquis solvit, quod solvere non
 tenebatur. C. & ff. de conditione indebiti, per
 totum. Renunciatur.

ARTIS NOTARIATVS

26. Beneficium conditionis sine causa, vel ex iniusta causa, vel ob turpem causam, inducit, quòd is, qui sic obligatus est, non teneatur solvere. ut ff. & C. de condictione sine causa. per totum.

27. Beneficium conditionis incerti, habet locum, quando aliquis, hæredi instituto, substitutus est, in eum euentum, si institutus absq; liberis decederet. In hoc casu incertitudo est, unde incerti condictione dicitur.

28. Exceptio, ultra dimidium iusti precij. Hoc beneficio adiuuantur decepti ultra dimidium iusti precij. Nam iura permittunt, contrahentes se inuicem decipere in precio rerum, usq; ad dimidium iusti precij. Si autem ultra dimidium iusti precij deceptio facta sit, datur hoc beneficium, tam emptori, quàm venditori. Vide notata in c. cum causa, de emptio. & vendi. Renunciatur.

29. Beneficia Statutorum, Ordinationum, Constitutionum, &c. In genere fit renunciatio, in hanc, aut similem formam. Renunciavit Titius, per me Notarium publicum infra scriptum certioratus, Beneficio epistolæ diuini Adriani, nouæ constitutioni, & quibuscunq; alijs beneficijs, Statutis, Constitutionib. Ordinationibus, Papalibus, Imperialibus, Regijs, localibus, aut temporalibus, à iure, vel homine editis,

ne editis, vel edendis, in genere, vel specie concessis, vel concedendis, &c.

Hæc ferè principaliora sunt Beneficia, quorum frequentior usus est in contractibus. Beneficium Inventarij, et alia plura, à legibus salubriter introducta, ad contractus non pertinent, & alio loco traduntur. Hæc Tyronibus huius præclaræ, & necessariæ Artis sufficiant. Quod superest, ex Speculatoris, et aliorum iustis voluminibus, discatur, Nos Isagogen instituimus, quam hoc pacto, Laus Deo, absolui-
mus, & stetisse nos promissis, ijsq; satisfecisse eo ipso putamus. Atq; ideo bonum, & candidum lectorem oramus, ut operam nostram, & fidem in docendo boni consulat.

FINIS. DEO GLORIA.

I •



AD HENRICVM
CNAUSTINVM, IURIS CAN-
didatum, filiũ suum charissimum,
Henrici Cnaustini V.I. Do-
ctoris, &c. Epi-
gramma.

ACCipe Xeniolum, fili dilecte, parentis,
Promissumq, diu munus, et artis opus.
Hoc lege discendo, post volue volumina Iuris
Integra. Principijs hac data norma fuit.
Tu praecepta coles patris, ac imitabere gressus,
Ut sine fructu ætas ne numerosa fluat.
Tempore nobilius nihil est, preciosius atq,
Labitur exiguo longa dieta modo.
Noctes atq, dies lege Iura, & disce docendo,
Sic prorsus nullum tempus abibit iners.
Dũ tempus, sorsq, ipsa sinit, dũ vita, memeto
Viuerè, nam meminit viuerè nemo diu.
Hic bene si viuis, post fata nouissima viues:
Si malè, es ante obitũ fumus et vmbra tuũ.
Ocia docta, leuis vulgi fuga, rara voluptas,
Ingenium ostendunt, efficiuntq, virum.
Degenerem contrà, stolidæ commercia turbae,
Errorum nebulæ, sordida cura gula.

APPEN-

APPENDIX.

DE NOTARIO
RVM EXCESSIBVS, ERRO-
ribus, atq; peccatis, breuiter & summa-
riè, in vsum Tabellionum collecta, per
Henricum Cnaustinum, V. I. Docto-
rem, Sacri Palatij, aulæq; Latera-
nensis Comitem, & Poë-
tam Cæsareum.

I.

Tabellionatus Priuilegium est generale, *Priuilegiū*
quia eorum instrumenta fidem faciunt ge- *Notaria-*
neralem, per totū orbem. l. leges. C. de legibus. *tus.*
Et per Tabellionem alteri acquiritur. l. non a-
liter. ff. de adoptionibus.

II.

Officium eorū est publicum & commune, *Officium*
& ideo creditur scripturæ Notarij, per totum *Tabelliona-*
Imperium, tanquam publicæ, sine aliquo ad- *tus, extra*
miniculo, dummodo in Instrumento confecto, *iudicium.*
extra iudicium, sit descriptus numerus testiū
debitus. in c. cum Ioannes, de fide instrumen-
torum.

DE NOTARIORVM

III.

Scriptura In illis verò, quæ fiunt in iudicio, soli scri-
Notarij in pturæ creditur Tabellionis deputati ad scri-
Iudicio. bendum, etiam sine testibus. c. quoniam con-
tra. de probationibus.

IIII.

Quatuor Quatuor requiruntur Regulariter, vt No-
requisita tarius Instrumentum conficere possit. 1. facti
in Notario cõmissio, id est, vt sit rogatus. 2. Rei cognitio,
id est, quòd quantitatem apprehendat, per sen-
sus corporis. 3. Iuris permissio, id est, vt instru-
mentum conficiat, de permissis, nõ de illicitis,
prohibitis, & interdictis. 4. Nomina, & roga-
tio testium, in quorũ presentia fit instrumen-
tum. Bald.

V.

Tria in No Tria potissimùm in Notarij creatione con-
tarij crea- sideranda sunt. Etatis maturitas, morum gra-
tione confi uitas, & literarum scientia. c. cum in cunctis.
deranda. ext. de electione. Et ideo, cum Notariorum v-
sus frequens, utilis, & quotidianus, munusq;
eorum publicum sit, & persona Notarij publi-
ca nuncupetur, magnoperè, sollicitaq; cura con-
siderandũ est, quis in Notarium creandus ve-
niat. iuxta text. in l. 1. ff. de diuersis, & tempo-
ralibus præscriptionibus. l. legau. ff. de libera
legatione. l. 1. §. dixerit aliquis. ff. de publica-
nis,

nis, & vectigalibus, & commissis. l. iusto. ff. de usucapionibus & usurpatione. l. 1. ff. de integrum restitutione. 6.

VI.

Maturitas itaq; ætatis, prima est inspicienda. Ad publicum enim officium, qui in *Maturitas ætatis.* maturatione ætate constitutus non est, eligi, constituiq; non potest. l. ad rempub. ff. de muneribus & honoribus. Et suadetur ex eo, cum officium Notariatus repertum sit, in publicam hominum utilitatem, & fauorem, ne ante maturam ætatem creentur Notarij, ut non fauor in odium vertatur. Nam ante maturam ætatem, infirma esse hominum iudicia non immerito feruntur. l. 1. ff. de minoribus. l. quod fauore. C. de legi. c. odia. de regul. iur. lib. 6. l. cum quidam. ff. de lib. & posth.

VII.

Atq; ideò legales personæ, ad Notariatus *Legales sint Nota-* officium constituentur, iuxta ea, quæ habentur c. quoniam contra fal. de proba. l. si à bonæ *rij.* fidei. C. de rei vendi. Aliàs facillimè poterunt eos partes suspectos allegare. secundum gloss. singularem, in §. quia sæpe. in Authen. de tri. & semi.

DE NOTARIORVM

VIII.

Notarius Et hoc eò magis considerandum est, cū No-
duos repræ tarius duorum factò æquipolleat, attestante
sentat. Baldo, in Authen. Sed cūm restat. C. ad l. Fal-
 ci. l. militibus. C. de mili. testa. Est etiam no-
 tab. text. in d. c. quoniam contra, & c. cūm es-
 ses. extr. de testa. in c. cūm parati. de appell.

IX.

Grauitas Habeatur etiam ratio grauitatis morum, in
moram in futuro Notario. Nam deformitas morum in-
Notario. æqualitatem indicat mentis. c. fin. 41. distin. l.
 is qui. §. diuus. ff. de tuto. & cura. Et ideo mo-
 rum grauitas hominem ipsum commendat. c.
 licet. 8. q. 1. l. 1. C. de emendatione propinquorū.

X.

Doctrina Ante omnia autem doctrina & scientia est
& sciētia. inspicienda. Quia is, penes quem nulla nec do-
 ctina, nec prudētia est, opprimit multos. Pro-
 uerb. 28. Et imprimis necessaria est doctrina &
 scientia, prudentiaq; Notario, seu Tabellioni,
 maximè, vt falsitatis pœnam euitare possit.
 iuxta notata in l. generali. C. de tabul. lib. 10.
 & §. maximè. in Authen. de quæst.

XI.

Literalis Literalis sciētia tres gradus sunt. Quædam
scientia eminent, quædam mediocris, quædam sufficiens.
tres gra- dus. Emi-

Eminentem scientiam ille habere dicitur, qui **Eminens**
 sine reuolutione chartarum, nouit consulere. **scientia.**
 Scientia mediocris est illa, per quam difficiles **Mediocris.**
 quæstiones, cum reuolutione librorum, deci-
 duntur. Doctrina autem sufficiens est, quando **Sufficiens.**
 talis est homo, qualem officij sui qualitas requi-
 rit, quam ignorare, aut ei non posse responde-
 re, turpissimum est. l. 2. §. Seruius autem Sul-
 pitius. ff. de origi. iuris. Quare tales, qui suo of-
 ficio, quod susceperunt, non satisfaciunt, non
 homines, sed hominum imagines appellari me-
 rentur, secundum Abbatem in c. prudentiam.
 extr. de officio delega. Conuenit autem, ut Ta-
 belliones saltem in sufficienti scientia & do-
 ctрина sint constituti. Nam excellens, aut me-
 diocris scientia iuris, ab alijs requiritur.

XII.

Notarius ignorantiam prætere non po- **Ignorantia**
 test. Barto. in l. diuus Claudius. ff. de fal. **Notarij.**

XIII.

Pœnas falsi Notarius euitare nõ potest, ra- **Solennita-**
 tione omissarum solennitatum, ex præsumptio **tes omisse.**
 ne iuris, & de iure. l. general. C. de tabul. lib.
 10. & l. 1. C. de fid. instr.

XIII.

Clausulam Codicillarem, ex solo Notario- **Codicilla-**
 rum stylo, in instrumentis appositam, nil ope- **ris Clausu-**
 I 5- **la.**

DE NOTARIORVM

rari, certi iuris est. Textus ad literam. in l. fin. §. penult. C. de Codicill.

XV.

**Contrahē
tū verba.** Propria verba contrahentium, debet Notarius in Instrumento apponere. Innocen. in c. fraternitatis. ext. de here.

XVI.

**Natura di
ctionis, et
cetera.** De natura dictionis, & cetera, est, ut illud, cui talis dictio applicatur, intelligatur, secundum cōsuetudinem aliorum instrumentorum, ab ipso Notario, in tali materia, confectorum, ut tradit Bart. in §. idem credend. Bald. in l. rescript. C. de fide instrumen.

XVII.

**Notarius
sit rogatus** Tabellio, nisi fuerit rogatus à partibus, instrumenta conficere nō potest. §. i. & §. penult. in Authen. de tabell.

XVIII.

**Lites et ex
pensa ca
uenda.** Vexari litibus, & expensis grauissimū reputatur. l. si quis signatoribus. ff. quemadmo. testam. aperi. l. properandum. C. de iud. Ideo tabelliones sint cauti, ne hīc impingant.

XIX.

**Simulata
qua.** Simulata ea dicuntur, quæ non sunt reuera celebrata. l. item prætor. ff. de suis, & legit. l. si non verum, imò simulatū. C. de dona. inter vir & vxor. Tabel-

XX.

Tabelliones falsi crimen tripliciter committunt Tripliciter possunt. Primò, re, & nomine, & hoc con- modo falsi uertitur in nullum. l. Paulus. ff. de verb. signi. crimen in- l. licet. ff. de procura. Secundò, si actum cele- curritur. brent, expressè, uel tacitè, à lege reprobatum. l. cum quis. ff. de solu. l. eius qui. ff. si cert. petat. Tertiò, si debitas solennitates omittant. l. post legatum. ff. de his qui in iud. l. iubemus. C. de testa.

XXI.

Regulare est, Quod quis per se potest, hoc i- Per alium psum & per alium facere potest. Saly. in l. non facere. ideo minus. C. de accusa.

XXII.

Si itaq, Notarij fortè aliquo impedimento Impedimè præpediti, per alios instrumenta applicent & ta in sub- exhibeant, specificam & expressam mentio- scriptione nem facere debent impedimenti, in subscri- allegandas ptione. Bartol. in l. diuus. §. idem Senatus. ff. de fal.

XXIII.

Notarius ante omnia operam det, ne fi- Fides & le des, & legalitas sua, in dubium uocetur. Nam galitas No facta fide, de fidelitate, & legalitate, facile tarij. omnis sinistra suspicio cessabit. Bartol. in l. non solum. §. qui alieno. ff. de procu. l. transigere. C. de tran. Notarius,

DE NOTARIORVM

XXIIII.

**Cura bonae
famae &
nominis.**

Notarius, qui honorem suum negligit, crudelis est. c. 2. de purgatio. Cano. Hinc sapienter magnanimus dixit Apostolus: Expedi mihi mori potius, quam ut quis gloriam meam euacuet. Melius enim est, omnia bona perdere, quam famam. 6. q. 1. c. ex merito. Et magnus dixit Ecclesiast. Maior est amissio fama, quam oculorum. c. nolo. 12. q. 1. l. infamiam. C. de decuri. lib. 10. Et Bald. in c. 1. §. si quis hominem. Tit. de pa. ten. in vsu. feud. non est veritus dicere, Quod pro honore conseruando licitum est

Duellum.

introire duellum. Et idem Bald. in c. veniens. lib. 1. de testi. dicit, quod sicut facit corpus umbram illustratam a Sole, ita fama a se, bonorum operum umbram. Et verè beatus est, qui possidet bonam famam. Et, Cicerone teste, accendimur studio laudis. Sed hoc notandum est hoc loco, cautius procedendum esse, quando de honore alicuius agitur. c. ubi periculum. de elect. lib. 6. Haec prolixius, pro Notarijs, ut sibi fidem comparent, et de bona fama sint solliciti.

XXV.

**Rasura in
instrumen
to.**

Rasura in instrumento reperta, inducit praesumptionem falsitatis, nisi eius facta sit mentio. l. Titio. ff. ad municipal. l. fin. C. de edi. di. ni Adri. tollen.

Veritatis

XXVI.

Veritatis occultatio, falsitatis species est. l. Veritatis Presbyteri. C. de episcop. & cleri. Clementina, occultatio. saepe. de verbo. signifi. Bald. in l. falsum. C. de furtis. l. praesumptionem. C. si contra ius, vel utili. publ. veritas enim amica legi est. l. i. C. de indicta viduitate tollenda. Bald. in l. iusticia. ff. de iusti. & iur.

Veritas amica legi.

XXVII.

Fides etiam hosti seruanda est. c. noli existimare. 23. q. 1. Quia nihil est, quod magis fulgetur fides, at in homine, quam recta fides. l. inter claros. C. de episco. & cleri. Vbi enim non est fides, ibi iustitia esse non potest. c. ubi sana. 24. q. 1. Et fides ipsa à diuina prouenit clementia. c. ea quæ. extr. de rescript.

Hosti debetur fides, regulariter. Fidei laus.

XXVIII.

Perceptio fructuum, si legitimum modum excedat, procul dubio contractus usurarius iudicabitur, cuius praesumptionem inducit. l. rogasti. l. si tibi. ff. si cert. peta. l. si tibi decem milia. ff. de pactis. l. cum ultra. C. de non nume. pecun.

Contractus usurarius.

XXIX.

Si non sit solitus contractus, potest usurarius praesumi, & hic facilis est praesumptio, contractus quando

Insolitus contractus quando

DE NOTARIORVM

quando contrahens solitus est dare vsuras. c. iuuenis. de spons. c. illa vos. de pign. l. vniuersorum. ff. de pigno. actio.

XXX.

Dictio, praesertim. Dictio, praesertim, est implicativa. l. illud. ff. ad l. Aquil. l. i. C. in quib. causis. in integ. restit. c. per tuas. de symo. c. i. de except.

XXXI.

Vilitas precij. Paruitas precij, fraudis praesumptionem inducit. textus est c. i. in verbo, Quis enim dubitat. in tit. quali. hod. feud. poss. alie.

XXXII.

Notarij negligentia. Negligentia Notariorum latae culpa aequiparatur. Negligentes autem illi dicuntur, qui quod ad eos spectat, facere spernunt, unde dolus praesumptus oritur. l. mancipia. ff. de ser. fug. not. in l. 2. ff. quod quisq. iur. l. iudices. C. de iud. Ange. in l. in insulam. ff. de verb. oblig. Bald. in l. quamuis. ff. de cond. & demon.

XXXIII.

Infames. Infames, Tabellionatus officio potiri non possunt. l. fin. C. ad l. Iuli. de vi publ. l. si aliquis, iuncta gloss. C. de suscept. & archi.

XXXIII.

Nihil addendum, Notarius, si aliquid addat, vel demat, dupli-
citer pœna puniendus est. Textus est in l. excellentia

dentia. C. de erogat. mil. anno. lib. 12. quem pro singulari introducit Roman. nihil de-
mendum.

XXXV.

Si verò aliquid omiserint Tabelliones, am-putatione manus punientur, et consequenter, non amplius poterunt eo officio fungi, seu quouis modo potiri, quia infames fient. §. coges. in Authen. de mand. princi. quem textū reputavit singularem Bald. in l. ubi exigitur. §. dolo. ff. de eden. d. l. fin. C. ad l. Iulia. de vi publ. Omittens aliquid Notarius.

XXXVI.

Si Notarius negat, se aliquod instrumentū, tanquam Notarium, conscripsisse, probatio incumbit affirmantibus, contra quos est præsumptio, ea ratione, quia in dubijs potius præsumitur id, quod fieri consuetum est. Bald. in rubr. C. de fide instru. l. fin. C. de fideiusso. l. qui semisses. ff. de usu. Probatio contra Notarium.

XXXVII.

Verba prolata ad personam, intelliguntur secundum qualitatem personæ. l. plenum. §. equiti. ff. de usu l. ex militari. ff. de mili. testa. Qualitas personæ.

XXXVIII.

Si in legitimatione, facta à Comite Palatino, Spuriæ mentionis non fuerit interposita, tunc talis legitimitas nihil operatur. Ita cōsuluit D. qualis esse Bene-debeat. Legitimitas Spuriæ.

DE NOTARIORVM

Benedictus de Plum. in consil. incipiente, pro declaratione prædictorū, quod adducit Barb. in consil. 9. quarti voluminis. Quia non habendo spurietatis mentionem, censetur legitimitio subreptitia, quo casu non debet valere. l. 1. ff. de nat. rest. iuncto c. dicet aliquis. 28. q. 4. Nam difficilius dispensatur cum incestuoso, quàm cum eo, qui sola naturalitatis macula est affectus. Et ideo in talibus nil taceri debet. l. uniuersa. l. præscriptione. l. quoties. C. de preci. imp. offer. l. 2. & l. & si legibus. C. si contra ius, & c. super literis. c. cū dilecta. de rescript.

XXXIX.

Qui non possunt legitimari. Comes Palatinus non potest legitimare filios, ex personis natos, inter quas matrimoniū esse non posset. *Angel. & Bald. in Authen. præterea. C. de nat. lib.*

XL.

Plenitudo potestatis in Principe Princeps habens potestatis plenitudinem in filiorum legitimationibus, eam non transferre potest, nisi specialibus verbis. *faciunt notata in l. 1. ff. de tuto. & cur. l. 2. ff. de nat. rest. in l. ex facto. ff. de vulg. & pup. l. gallus. ff. de lib. & posth.*

XLI.

Notarius lacerans testamentum eius, qui morbo pestifero laborat, eò, quòd non interuenerint

merint omnes solennitates, aliàs requisitæ, incidit in Scyllã, cupiēs vitare Charybdim. Quia Testamentatione morbi, receditur à Regulis, & dispositum illius, ratione iuris communis. Nam legi necessitas nõ qui laborat peste, subiacet. Atq; ideò nihilominus, ratione morbi, testamentum valet. not. Bald. in l. fin. C. de testa. Bart. in l. 1. ff. de bono. poss. ex testa. mili. & c. qui necessitate. 1. q. 1. c. de Iur. Clement. 1. de hom. l. 2. ad l. Rhod. de iactu. Quocirca sint cauti Notarij, in custodiendis huiusmodi testamentis, ne de falso, vel saltem ad interesse teneantur.

Notarius, in aliqua caussa scribens partibus, & uni ex his, ad eius aurem susurret, seu in aurem clam loquatur, legitima caussa erit suspitionis, ob quam suspectus allegari possit, nisi hoc, quod occultè dixit, in lucem emiseric. Iuxta gloss. sing. in §. quia sepe. in Authen. de trien. & semis. Proditor enim censetur ille, qui non liberè loquitur. Et conuenticula, fraudis suspitionem inducunt. c. cum ex iniuncto. de hæ. c. nolite. 2. q. 3.

Sic & Iudex suspectus allegari potest, si cum parte susurraverit, illiq; in aurem locutus fuerit, nisi audita in lucem emiseric. Quia quæ occultè fiunt, sunt inductiua fraudis, ut voluit Bald. in l. sicut. §. supra vacuum. ff. quib. mod. pig. glos. in l. cum à iudice. §. obseruare. C. de iur. cal. Specul. in tit. de positio. §. septimo.

K

DE NOTARIORVM

XLIII.

**Causa sus-
pitionis.** Sciatur Notarius, si suspectus allegetur à par-
tibus, quòd partes non teneantur ei exprimere
causam suspicionis. l. apertiss. iuris. C. de iudi.

XLIII.

**Ad egregi-
as perso-
nas mitti-
tur Nota-
rius.
Nobilis
pauper.** Tabellionem ad egregias domos & personas
mitti oportet. Et in his non contemnantur no-
biles pauperiores. tex. in l. ad egregias. ff. de iur.
iur. & glos. in c. si quis tertium. de testi. Nam
licet iste sit nobilis, non diues, nihilominus ra-
dijs paternis coruscat. Et plurimum deferendū
est, ratione paternæ nobilitatis, cū nobilitas
honorāda sit. vt est notabilis glos. in c. vbi cun-
que. de pæn. lib. 6. et c. si postquā. §. fin. de elect.
eod. lib. & l. Dorotheū. C. de decur. lib. 10. l. ad
honorē. ff. eod. & c. fundamenta. in verb. prin-
ceps. de elect. lib. 6. c. de multa. de præben. §. 1.
in Auth. de defen. ciui. l. nobilior. C. de vecti.

XLV.

**Doctores
ex plebeis
parenti-
bus nati.
Scientia
nobilitat.** Notarij quoq; tenentur ire ad Doctores, vt
præstent iuramentum, licet ex plebeis nati sint
parentibus. Scientia enim nobilitat. l. prou-
dendum. C. de aduocat. diuer. iud. vbi dicitur,
quòd Doctor valens, & plebeius, præfertur
nobili, minus valēti. Et Doctor Propheta di-
citur, & pariter in dignitate est constitutus. c.
si rector. 44. dist. l. fin. C. de iud. Bar. in l. ex eo.
ff. de

ff. de stat. mil. Abbas in c. proposuisti. de prob.

XLVI.

Tabellio si in vno nummo falsitatē pluries Tabellio
commiserit, pœnam meretur, et puniendus ve in vno nū-
nit, de iusticiæ rigore. l. quid ergo. §. pœna gra- mo falsus.
uior. ff. de his qui not. infam. Quia ex paruo e-
tiam defectu, quis incidit in pœnam. l. heredes.
§. idem iuris. ff. fami. her. Quare modica etiã
curãda sunt. Iaco. de Butr. in l. in rebus. §. pos-
sunt. ff. como. Bart. in l. proprietarius. ff. de
dam. infe.

XLVII.

Notarius non potest aliquid propria cōsci- Iuxta con-
entia facere, si hoc sibi à superiore, seu parti- scientiam
bus, commissum non sit. Nam vnusquisq; scribere,
actus veritatis fundamentum habere debet. hoc est, al
l. nemo. C. de sen. c. i. de consti. Sed speciale est quid confē
in principe, quòd illi suo sensu abundare, et pro cere, pro
voto facere licet. Cyn. in l. i. C. de his quæ def. suo sensu
aduo. Alij autem debent facere acta, secun- extra men-
dum regulam artis suæ. Bald. in l. hac lege. C. tem parti-
de sent. ex per. um, vel si.
prioris cō-

XLVIII.

Notarius etiam, in scribendo, clementior le mittentis.
ge, non debet esse, ne legi iniuriam faciat. l. ea- Clemen-
dem. ff. de ser. §. oportet. in Authen. de iud. re. tior lege.
vend.

DE NOTARIORVM

XLIX.

Addere,
vel de-
mere.

Caueat Tabellio, ne addendo, vel minuendo, ex conscientia, de falso accusetur, & puniatur, cum infringat veritatem. c. si Christus. de iur. iur. c. nemo. u. q. 4. Nam qui veritatem frangit, Christum negat, qui dixit, ego sum via & veritas. c. nihil. de præsump. c. qui scandalizauerit. de reg. iur. c. 1. & c. consuetudo. 8. dist.

L.

Notarius
non agat
contra con-
scientiam.

Si quis tamen velit quippiam Notario faciendum iniungere, quod sit contra conscientiam ipsius, hoc non faciat. Nulla enim obedientia necessitatem imponit, aut cogit, ut quis agat contra conscientiam. c. ad aures, de temp. & ord. c. li. rest. spo. not. in c. inquisitis. de sent. excom. c. per tuas. ext. de symo. c. cum minister. 23. q. 5. c. quod culpatur. 23. q. 1. c. pastoralis. de offi. dele.

LI.

Vitium in
strumenti
est obscuri-
tas, & im-
perfecta
oratio.

Obscuritas, & omissio verbi principalis, vitare instrumentum potest. ut not. DD. in l. 1. de hær. instit. Bart. in l. quicquid astringen- dæ. ff. de verb. oblig. Nam quilibet actus debet fieri verbis aptis, & habilibus. ut est sing. l. 1. C. de senten. & interlo. om. iud. & glos. nota. in §. sed hæc solennia. Instit. de verb. oblig. per l. penul.

penul. §. qui autem. & §. fin. & l. seq. ff. de
consti. pecu. l. ut gradatim. §. sed si. ff. de mu.
& hono.

LII.

Dubium fit dupliciter. Primò, quo ad lite- Dubium
ram, & appellatur obscuritas. Secundò, quo duplex
ad intellectum, & est ambiguitas. c. 1. de postu.
præla. lib. 6. Ioan. And. ibidem.

LIII.

Notarius, in Examine testium, non debet Dicta testi
habere relationem dicti vnus, ad alterius, aut um in exa-
notare, testis dixit per omnia, ut prior testis. mine.
ut tradit Ant. in c. nihil. de verb. signi. Quia
presumptio est, quòd sermonem præmeditati
sint, & consultò dicant falsum. Specu. in tit.
de test. §. nunc tractandum.

LIIII.

Verba interpretationem recipiunt, ex com- Cõmunis
muni loquendi usu. Nam quando lex concur- loquendi
rit, cum communi loquendi usu, ipse usus at- usus.
tenditur. l. librorum. §. quod tamen casus. ff. de
leg. 2. c. ex literis. de sponsa.

LV.

Tabelliones debent morem & ordinem an- Mos & or
tiquum seruare, in electionibus, & alijs acti- do antiqua
bus. Nam Electio facta, antiquo ordine nõ ser- us est ser-
uandus.

DE NOTARIORVM

uato, irrita est. Et quicquid hoc pacto fit, antiquitatis ordine postposito, tanquam illegitimum reuocari potest. Nam consuetudinis magna est auctoritas. Habet enim vim iustitiæ, inquit Bald. in c. 1. qui feud. da. poss. Quare omnis nouitas, quæ præsumitur mala, fugienda est. l. actuarios. C. de act. & car. lib. 12. quem textum allegat Bartolus, Bald. in tit. de pa. const. & l. 1. C. quæ sit lon. consue. c. 1. ver. consueuistis. ut lit. pend. c. ad audientiam. ver. consueuit. de præscript. c. dilectus. de offi. ord. c. cum consuetudinis. de consu. & c. si quis nesciat. 11. dist. c. hoc autem. 30. distinct. l. in rebus. ff. de const. princi.

LVI.

Notarius nihil adscribat sibi.

Notarius sibi, vel suis, in Testamento alicuius, nihil adscribat. l. diuus Claudius. ff. de fal. Nec audiatur, etiam si ignorantiam prætendat. Nam ubi de dolo agitur, ignorantie non parcitur. Nec in factum proprium ignorantia cadere potest. Dyn. in c. ignorantia. de reg. iur. lib. 6. l. 2. §. Seruius autem Sulpitius. ff. de orig. iur.

LVII.

In tormentorum confessione, non habet

Notarius, ut vitet falsum, nõ ponat aliquem in tormentis sponte confessum fuisse delinquentem. Bald. in c. 1. §. iniuri. de pace iuram. firm.

Quis

Quia impossibile est, ut quis spontè confessus locum vox sit, probato metu, & tortura. Bald. in l. si quis spontè. hoc genus. C. de episco. & cleri. & l. si quis. ff. de incend. rui. & naufr. l. 3. §. armati. ff. de vi & vi arm. facit etiam pro hoc naturalis ratio. Quia naturale est, ut omnes cupiant vitam suam tueri. l. 1. ff. de bon. damna. Et nemo præsumitur propriam vitam odio habere. l. 2. ff. de custo. reo. l. 2. §. diuus. ff. de quæst. Ergo, quia non est verisimile, quòd spontè, videtur quædam falsitatis imago esse, si Tabellio scribat spontè. l. milites. §. oportet. C. de quæst. & l. si ita quis. ff. de euct. Ludo. Roma. in l. qui in aliena. §. Celsus. ff. de acqui. hered.

LVIII.

Confessio in tormentis, non est valida, sine Confessio alijs adminiculis. l. sciant cuncti. C. de proba- in tormen- tio. l. qui sent. C. de pænis. c. fin. de confess. c. tis. nos in quenquam. 2. q. 1.

LIX.

Paria sunt, aliquem in tormentis confiteri, Confessio vel quando fuit ductus ad tormenta. Casus illius, qui sing. in l. nouissimè. C. quod cum fal. tut. Et ductus est hoc est notabile, cum aliàs voluntas, etiam ad tormen- coacta voluntas dicatur. l. si mulier. §. penul. ta. ff. quod met. caus.

DE NOTARIORVM

LX.

Verba No- *Verba Notarij naturaliter interpretanda
tarij, quo- sunt, non materialiter. Roma. in d. l. qui in alie
modo in- na. §. Celsus. ff. de acqui. hære. Bald. in l. fin. C.
telligenda, sine censu. vel resi. fun.*

LXI.

Signa No- *Notarij, qui propria Notariatus sui signa,
tarius, sub quæ de substantia instrumentorum sunt, mu-
pœna fal- tant, de falso puniri possunt, secundum Bald.
si, non mu- in l. i. C. de nouo comp. l. stigmata. C. de fabri-
tet. lib. ii.*

LXII.

Inter erro- *Regulariter potius error, quàm malitia præ-
rem, et ma sumitur. glos. notabilis in c. super literis. de re-
litiam præ script.
sumptio.*

LXIII.

Nemo ma- *Nemo præsumitur malus, immemoræ sa-
lus præsu- lutis æternæ. l. merito. ff. pro socio. c. estote mi-
mitur. sericordes. de reg. iur. l. cum pater. §. rogo. ff. de
leg. i. c. sanctio. i. q. 8. c. i. de scrutinio.*

LXIII.

Pauperes *Tabellio nõ debet pecunias accipere de ali-
non sol- quo actu, vel contractu pauperis. ut not. tra-
uñt Nota- dit Roma. in l. si verò. §. de viro, in fall. propter
rio. paupertatem. ff. solu. matri. Hoc etiam locum
habet in aduocatis & iudicibus. Bald. in l. si
furiosis*

*furiosi. C. de nupt. l. generaliter. C. de Episco.
& cler.*

LXV.

Tabellio sit misericors in pauperes. Quia Tabellionatus officium principaliter à Deo protus officium uenit, à quo omnia descendunt. c. gratia, 1. q. 1. à Deo, & in Authen. quomodo oportet epis. in prim.

LXVI.

Exceptis pauperibus, Notarius non cogitur, sicut & nemo aliàs, proprijs stipendijs militare. c. cum officij. de præs. l. si quis ex signatoribus. ff. quemadmod. testa. aper. l. si quando. §. sed cum oportet. C. de testa. l. si seruus. §. quod uerò. ff. de fur. l. 2. §. queritur. ff. de cura. bon. dand. Nam aridum, & rigorosum nimis esset, si quis cogeretur de suo beneficium facere. argu. §. hoc autem. 15. q. 3. c. charitatem. 12. q. 2. c. non licet. 14. q. 5.

LXVII.

Notarius, & nemo alius, cogitur officium suum, in publicis negocijs & actionibus, gratis exhibere. Sed fauore paupertatis, res secus habet, cum ea in qualibet dispositione generali, censeatur excepta. Quia semper paupertas excusat. l. nam is. ff. de dolo. l. non facile. ff. si cui plus, quam per legem falcid. lic. leg. l. forma. §. quanquam. ff. de censibus.

K 3

DE NOTARIORVM

LXVIII.

Protestatio facta, aduerso iudice. Si qua protestatio coram iudice facta est, quam iudex oderit, Notarius eam scribere tenetur, iudice etiam inuito. Bald in rubr. C. de fide instr. & facit l. duorum. §. libertus. ff. de operis libert.

LXIX.

Quid protestatio operetur. Quando aliquis actus potest parti præiudicare, tunc potest protestatio interponi, ut ius suum protestanti conseruetur, & maneat incolume ac saluum. Et Notarius protestationem excipit, atq; instrumentum ex ea conficit parti protestanti, quod ratione officij sui facere tenetur. glos. in c. cupientes. §. sed si per 20. de elect. & c. i. c. plerunq; de rescript.

LXX.

Negans Instrumentum. Notarius negans cōfectionem instrumenti, efficitur periurus, et periurij nomine punitur. Bald. in l. prouidendum. C. de postul.

LXXI.

Quomodo iuretur. Quando coram Notario iuratur, debet iuramentum interponi, ita ut sacra Euangelia, digitis appositis, tangantur, quo aliquid operetur. ut est glos. solitaria. in c. ut circa. de elect. Lanfr. in c. quoniam cōtra. in ver. testium depositiones, de proba.

Quando

LXXII.

Quando aliquis iurat, per hæc sacrosancta Dictio, hæc Dei Evangelia, dictio, hæc, est demonstratiua, demonstratiua est. si subiecta scriptura, contineat sacra Evangelia. Alioqui oratio redderetur falsa. l. fin. C. quod cum eo. Bald. in l. 2. C. de consti. pecu. l. fin. C. ubi ratio agi oporteat. Saly. in l. fin. C. ad Mace. facit Authen. generaliter. C. de epis. & cleri.

LXXIII.

Notarius sit cautus in iuramentorum delatione, & sciat, quod iuramentum habeat tres Comites, scilicet, Iudicium, Iustitiam, et Veritatem. Tres Comites Iuramentum. Auth. Quod eis. C. de nupt. c. si Christus. de iureiuran. 22. q. 1.

LXXIII.

Iuramentum insuper in se continet quatuor conditiones. Iuramenti quatuor conditiones.

Prima conditio est, Si Deo placuerit. c. beatus. 22. q. 2. Quia per diuinam dispositionem omnia humana vincula franguntur. c. duæ. 19. q. 2. c. dixit. 14. q. 5.

Secunda conditio est, Si papæ, seu superiori Magistratui placuerit. c. veniens. de iureiurand. c. cum te. eod. tit. c. constitut. de rescript. l. imperatores. ff. de municipal.

Tertia conditio est, Si res in eodem statu per-

DE NOTARIORVM

Emergen-
tia. permanserint. c. nequis. 22. q. 2. l. cū quis. ff. de solutio. & c. quemadmodum. in glos. magistra. de iureiuran. Quia quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio. l. quæ de nouo. C. de legib. l. de ætate. ff. de interrog. actio. c. insinuante. de offici. delega. Et in isto casu, si quid de nouo superuenerit, potest iurans à iuramento recedere. Quia in generali, dispositio generalis, ad incognita non trahitur. c. antecessor. 11. q. 3. l. cūm Aquilia. ff. de transactio. l. emptor. l. tres fratres. §. Lucius. ff. de pact. l. in lege. ff. de cōtrahen. emptio. c. cūm multiplici. ext. de decimis. glos. in c. si quis arbitretur. 22. q. 2.

Quarta conditio est, si deponenti fuerit seruata fides. c. 1. de foro fidel. c. peruenit. de iureiuran. l. quero §. interlocutorem. ff. locati.

In promiss-
sorijs, non
assertorijs. Sciant Notarij, istas condiciones locum habere in iuramentis promissorijs, non autem in assertorijs. ut habetur l. si mulier à viro. C. de iure dot. in c. fin. 32. q. ultima.

LXXV.

Differen-
tia inter
Iuramen-
tū, de ve-
ritate di-
ad inter-
Non exigua est differentia inter iuramentum, de veritate dicenda, & iuramentum, ad interrogata respondendi. Nam primo casu, quando iurat aliquis, se plenam, et meram veritatem dicere velle, hoc est, omne id deponenda, & re, quod verum sit, falsum autem prætermittere. c. hortamur. c. pura. 2. q. 2. c. nullum. 2. q. 4. Si

Si quid hoc casu conticuerit, non erit excu- rogata re- sandus. spondendi.

Quando autem iurat, se ad interrogata re- sponsurum, poterit excusari. c. cum dilecti. de accusa.

LXXVI.

Notarius, qui Testamentarium actum ce- Oportet lebrat, in quo testes non viderunt, nec audie- videre Te- runt Testatorem, actum nullum conficit. Nam statorem, hoc pacto Testamentum ipsum nullum effici- & audire tur. l. si unus. C. de testam. Et hoc fit gratia e- eius vocē. nitandæ fraudis, quæ in testamentis facile cō- mitti posset. arg. l. fin. C. de fidei. l. satis aperte. C. de fals. Caueant itaq, sibi Tabelliones, & sint cauti, faxintq, ut testes videant Testatorem, eiusq, vocem audiant. Nam vox hominis, est expressio earum, quæ in animo sunt, passionū. l. Labeo. §. idem tubero. ff. de supell. le. Bald. in l. mandatum. C. de rescript.

LXXVII.

Notet hic Notarius, quòd, quando actus re- Qualitas quirit aliquam qualitatem, si de illa qualitate requisita, requisita in actu, non constat, actus ipse vitie- omissa in tur. l. 2. ff. qui satisdare cogun. & ibi Bar. l. 1. §. illud. ff. ad Sylle. actu, viti- at ipsum actum.

LXXVIII.

Regulariter, fraudi fraude resisti potest, ni- si in

DE NOTARIORVM

Fraudem si in falsi crimen incurratur. glos. sing. in c. cū-
licet repel pientes. in ver. malignantium, de elect. lib. 6.
lere frau- & in c. Dominus noster, 22. q. 2. l. cum pater. §.
de. lino ff. de leg. 2.

LXXIX.

Tempore Tempore pestis à regulis iuris cōmunis re-
pestis te- ceditur in Testamenti condicione seu factione.
stamenta Nam tali tempore, Testamenta suis viribus
qualiacun constant & subsistunt, etiamsi omnes solenni-
que valet. tates non habeant. Hinc & Notarius excusa-
 bitur, pœnisq; non subiacebit, ut tradit Ioan.
 Crot. in tractatu de test. in ver. prima sit con-
 clusio.

LXXX.

In codicil- In codicillis non procedit, quod dictū est su-
lis alia est prà, in quib. tanta sollemnitas non requiritur,
ratio. quanta in testamētis. l. fin. C. de fideicommiss.
 & l. fin. C. de codicill.

LXXXI.

Quid ope- Regula, quæ dicit, quòd qui non potest te-
retur clau- stari, non potest codicillari, de qua in l. 2. ff. de
sula codi- leg. 1. procedit, respectu personæ, non autem
-cillaris. solennitatum, ut inquit Matefilla. in sing. suo.
 Et clausula codicillaris, quo ad hoc, multum
 operabitur.

LXXXII.

Favor

Favor animæ, seu anima ipsa, cunctis rebus Favor
est præferenda, in testamentis, codicillis, & a-
lijs quibuscunq; actibus, ut rectè in omnibus à
Notario agatur. l. sancimus. C. de episc. & cler.
c. infirmitas. de pœni. & remiss.

LXXIII.

Notarius non credat, se in præiudicialibus Consuetu
excusari posse, si consuetudinem prætendat, do, legibus
quando ea legibus & iuri repugnat. ut est no-
tab. dictum Hostien. in c. quanto de his, quæ fi-
unt à præla. si. consen. cap. quem text. Bald. re-
fert in c. de feud. cog. in vsib. feud. duur.

LXXIII.

Tabellio, si dicta testium diminutiue con-
scripserit, & aliquod verbum effectuale, in
scribendo conticuerit, & de eo convictus fue-
rit, pœnam falsi evitare non poterit. l. i. ff. de
falsis. l. presbyteri. C. de episc. & cler.

LXXV.

Quatuor modis falsum committitur.

1. Primò, quando timore potestatis alicuius,
veritatem scribere pertimescunt Notarij.
2. Secundò, quando præmij desiderio & aui-
ditate hoc faciunt.
3. Tertiò, quando eò dementiæ et malitiæ de-
labuntur, odio alicuius, cui aduersantur.

4. Quartò,

Quot mo-
dis falsum
committitur.

DE NOTARIORVM

4. Quarto, & ultimo, quando amico forte obsequium prestare, & auxilium ferre cupiunt & intendunt. c. quatuor. u. q. 3.

**Notarij
falsi, per-
uertunt
iudicium
Christi.**

Caueant Notarij, ne quid tale committant. Nam dum talia designant, iudicium Christi peruertunt, qui est veritas, & vita, & fructus illius vertunt in damnationis amaritudinem. c. quicumq. u. q. 3. Nec considerent, aut attendant vnquam, potentium fauorem, odium, amicitiam, munera, vel pecuniam, etiam si pecunia dicatur, tanquam vita, expetenda. gloss. in l. aduocatis. C. de aduoca. diuer. iudi. Bald. in c. cum causam. de re iudi. & l. propter litē. ff. de excusa. tuto. in c. Abbas. quod met. caus. unde dicitur, quod ita interest Reipubl. subditos habere locupletes, sicut partus conseruari §. cogitatio. Instit. de his, qui sunt sui, vel alie. iur. l. 1. ff. de ventr. in spi. glos. in l. nobiles. in ver. patrimonio. C. de vestig.

LXXXVI.

**Notarius
officio pri-
uatus, ob
falsi cri-
men.**

Notarius, si semel, ex falsi crimine, Tabelionatus officio priuatus fuerit, non poterit amplius ad hoc ipsum adspirare. Bald. in l. nihil per illum tex. C. de manu. vind. & casus in §. fin. Authen. de armis. l. iudices. C. de dign. lib. 12. l. cum non alicui. C. de suscepto. lib. 10. Quia sententia priuatiua legis, non debet esse ludibrio, l. cum non solum, §. penult. C. de bonis quæ

quæ liber. capi. clericis c. latores. de cle. excom.
Baldus in l. seruis. l. nec operis. C. de pœn.

LXXXVII.

Si Notarius falsum commisit, de præteritis Futura
ad futura argumentum sumitur. Nam præsu- præsumun-
mitur, eum & in futurum hoc ipsum esse com- tur ex præ-
missurum. Bart. in l. Celsus. ff. de usucap. c. se- teritis.
mel. de reg. iur. in 6. c. qui fortè. de elect. eod. li.
l. si cui. §. eidem. ff. de accusat. c. olim. de resti.
spol.

LXXXVIII.

Semel ex graui crimine, officio priuatus, e- Restitutus
tiam si pristinae fama à Principe fuerit restitu fama à
tus, non tamen poterit iterum creari, ut offi- Principe.
cio, quo functus est, denuò præficiatur. Bald. c.
1. de postula. præl. l. 2. C. de liber. & eorum lib.

LXXXIX.

Princeps, quando aliquem restituit, restitu Restitutus
tus, per omnia, pristinum gradum cōsequitur, quo ad pœ-
quantum ad pœnam. Secus autem in ijs, quibus nam.
infertur præiudicium tertio. l. generaliter. l.
cùm ex indulgentia. C. de sent. passis. l. fin. C.
de generali abol. §. sed si ex indulgentia. Instit.
quib. mod. ius patr. po. sol. iuncta l. 1. §. merito.
§. si quis à principe. ff. ne quid in loco publi. Et
quia hoc casu nostro, de publica utilitate tra-
ctatur, ergo fama restitutio debet intelligi ex-

L

DE NOTARIORVM

cepta esse l. si quis in graui. §. hi quoq. ff. ad Syl.
XC.

Renuncia-
tio speci-
fica.

Vbi de essentia alicuius contractus requiri-
tur aliqua renunciatio, illa debet apponi, nō in
genere, sed per Clausulas specificas, & expref-
sas, in hoc, vt aliquid operetur. Generalis enim
renunciatio, parū operatur, & videtur incō-
sultè facta. Et in materia restringibili, clausu-
la generalis, tantū ad cōmunia trahitur. l. di-
uortiū. C. de præludijs. l. famosi. ff. ad leg. Iul.
maie. glos. singul. in l. decurionibus. C. de silen.
lib. 12. De hac glos. facit festum Bald. in c. 1. §.
sancimus. tit. quo tem. mil. inuest. l. non plu-
res. C. de sacrosanct. Eccle. in Authen. habita.
C. ne fil. pro pat.

XCI.

Tabellio, si
iratus con-
sciderit in
ducenda,
pœna extra-
ordinaria
plectendus
ve-
strumē-
tū nit.
Pœna autē
extraordi-
naria,
legis
Aquilie
producen-
dum

Tabellio si ira concitus, et affectib. motus,
consciderit in ducenda, pœna extraordinaria plectendus ve-
strumē-
tū nit. Pœna autē extraordinaria, legis Aquilie
producen-
dum pœna intelligitur. Quia cessante remedio ordi-
nario, ad extraordinarium recurritur. Ioan.
And. in c. accepimus. de fide instru. quam do-
ctrinam alibi allegat Bald. in l. 1. C. eod. & l. in
lege. ff. ad l. Aquil. l. qui tabularum. ff. de fur-
tis. & l. in causse. ff. de min. l. 1. §. qui in ratio-
nibus. ff. de fals. l. si de possessione. C. de prob. l.
qui accusare. C. de eden.

Notarius

XCII.

Notarius, si accepto mandato, ut fideiussoribus ac- De fideiuf-
res in aliqua causa recipiat, & ipse minus ido- soribus ac-
neos receperit, tenebitur, et obligatus erit par- cipiendis.
ti ad interesse. l. quoties. ff. qui satisda cog. l.
Iulianus. ff. de actio. empti. Nam recipiendo ta-
les, approbasse eos videtur. l. 3. ff. de fid. Si au-
tem pars presens fuerit, hoc casu parti impu-
tabitur. l. si arbitrio. ff. qui satisda cog. Item, si
iudex approbauerit vel alij, fideiussorem ex-
presse laudauerint, & idoneum esse dixerint,
excusari potest Notarius.

XCIII.

Notandum tamen hic est, quod alioquin ne- Quando
mo, pro aliquo fideiussore dato, teneatur, nisi quis obli-
expresse dixerit, eum esse idoneum. l. 3. ff. mand. getur, pro
l. aduersus. ff. de magistr. conue. l. eleganter. §. fideiussore
penul. ff. de dolo. dato.

XCIII.

Sint ergo cauti Tabelliones. Nam semper Notarij ad
indistincte loquendo, quandocumq, non faciunt interesse te-
ea, quae sui sunt officij, tenentur parti laesa, ad nentur.
interesse. l. 2. C. de numul. & act. lib. 12. l. 2. ff.
de term. moto. l. 2. ff. quod quis. iu. l. seruo. §. si
praetor. ff. de iud.

XCV.

L 2

DE NOTARIORVM

**Secreta re
uelans.**

Notarius, qui secreta, vel sententiam iudicis, ante publicationem, parti pandit, cum ea in re iudici iniuriam faciat, falsi pœnam non euitabit. Et si id propter pecuniã faciat, in quadruplum tenetur, quæ damnatio etiam ad hæredes transit. l. 1. §. si quis. & l. si quis obrepserit. ff. de fal. Bart. in l. 1. ff. de praua glos. in l. senatus. ff. de accusa. l. is qui exem. ff. de furt. l. 1. ff. de pœn. l. 1. & 2. ff. ad leg. Iul. repetund. Et ilico erunt Tabellionatus officio priuandi. l. iudices. C. de digni. lib. 10. l. fin. C. de surrepto. & Archiua.

XCVI.

**Iuramentum,
& Clausula
Codicilla-
ris.**

Iuramentum habet vim clausulæ Codicillaris, & ris, ut actus valeat, quocunq; iure, & omni modo meliore, quo valere potest. ut est textus reputatus singu. in l. cum pater. §. filius matrẽ. ff. de leg. 1. per quem textum dicit Barto. in l. si quis maior. C. de transact. Quòd transactio, iuramento firmata, si non valet in vim transactionis, valet in vim pacti. Et hoc est notabile, pro declaratione l. si caussa cognita. C. eod. Et dicit idem Bart. in l. si quis pro eo. ff. de fideiuss. Quòd fideiussor iurans, tenetur in duriorẽ caussam, quàm teneatur reus, quod mirabile est, pro declaratione l. græce. de fideiuss. Et hoc videtur affirmasse Bald. in l. si prædiũ. C. de iure dotiũ. et in l. eam quam. C. de fideicõ. Speciale

XCVII.

Speciale est in infirmo, ut excusetur ab i- Infirmus
gnorantia supina, hoc est, ab eo, quod facile po- excusatur
tuisset scire. c. Apostolic. de cler. excommu. c.
proposuisti. 82. distin. l. 1. ff. de recept. Bart. in l.
is potest. ff. de acquiren. hered.

XCVIII.

Vbi constat de voluntate contrahentium, Non induz
non est introducenda aliqua questio, seu dispu citur di-
tatio. l. non aliter. l. ille, aut ille. §. cum in ver- spu a: 10.
bis. ff. de leg. 3. l. primam. §. si conuenerit. ff. de
posi. l. contractus. ff. de fide instru. l. quoniam
indignū. C. de test. l. non omnis. ff. si cert. petat.

XCIX.

Contra instrumentum probatio admittitur Probatio
per aliud instrumentum, si instrumentū, quod contra In-
impugnatur, contineat pacta insolita, quo ca- strumen-
su praesumitur fraudulentia, licet alioqui con- tum.
tra instrumentum non cadat probatio. l. gene-
raliter. C. de non nume. pecu. & glos. in l. 3. C.
de cond. inser. Sed contra hanc praesumptionem
fraudis, datur probatio, cum praesumptio ipsa
liquida dicatur probatio. glos. in l. sicut. C. de
pericu. tuto. l. 1. C. de mili. test.

C.

Notarius, sine septem testibus, regulariter tum, sine
loquendo, Testamentum conficere non potest, septem te-
L 3 stibus.

DE NOTARIORVM

nisi in casibus priuilegiatis, & statutorũ, ubi quandoq; quis, pauciorib. adhibitis testib. testari potest, maximè si in extremis constitutus fuerit. l. cum pater. §. quædam. ver. in extrema esset valetudine. & ver. deberi ea, quæ in extremis dixisset. ff. de fideicom. liber. c. Rainutius. ver. in extremis positus. de testa. c. nos quidem. ver. de hac luce migrante. eod. tit. c. fin. ver. agens in extremis. de success. ab intesta. l. Seia. §. cum pater. ver. in extremis vitæ constitutus. ff. de dona. Bald. in l. 1. C. de sacrosanct. Eccles.

CI.

In extre- In extremis constitutus, testari potest, quin
nis, testa- que testibus duntaxat adhibitis. Quia æquitas
tur quæ, in hoc casu, considerata est, quæ aliquo tem-
per quinq; poris curriculo non mutatur. Atq; ideo sint
testes. cauti Tabelliones, ne sequendo nimiam aspe-
ritatem Iuris ciuilib, ut Iureconsulti verbis
utar, debitas pœnas subeant, cum ipsi sint in
culpa. Nam euoluendo libros, proculdubio,
scire ista potuissent. l. codicillis. §. fin. ff. de leg.
2. Ang. in l. penul. ff. ad exhib. Bald. in l. si de-
functus. C. de suis & legit. l. placuit. C. de sent.
& interlocu. om. iud. c. fin. de transacti.

CII.

Pacti vigo- Quod vigore pacti fit, ex ipso pacto dicitur
re factum. pro-

procedere. arg. vnū ex familia. §. de Falcidia.
ff. de leg. 2. l. item eorum. §. decuriones. ff. quod
cuiusq; vni. nom.

CIII.

Tam de iure, quàm de consuetudine, dies à
media nocte incipit. c. consuluit. de offi. deleg. dia nocte
l. more Romano ff. de ferijs. Et propriè dies na-
turalis dicitur, qui comprehendit tenebras &
lucem, iuxta illud Genes. 1. Factū est vespere
& mane, dies vnus.

CIIII.

Vtile est, ad evitanda multa, quæ obijci pos-
sent, in instrumentis, etiam horam apponere.
Bald. in l. more. & l. non minorem. C. de tran-
sact. glos. singu. in l. si ex plurib. §. fin. ff. de solu.

CV.

Quando Notarij de nocte contractus cele-
brant, tunc debent accendi tria luminaria, ne
se aliqua persona facile possit subducere. iuxta
l. 1. ff. de vent. in spi. Aliàs de falso punientur.
l. iubemus. C. de testa.

Hora in in-
strumento
apponitur.
Tria lumi-
naria ac-
cenduntur
noctu, ut
contracti-
bus.

CVI.

Affiduus, et sollicitus in studio, multa scire
presumitur. c. sollicitè. de resti. spolia. c. 1. de ho-
micid. lib. 6. c. exer. de elect. eod. lib. glos. in c.

DE NOTARIORVM

ex literis. de in integ. resti. c. vigilantibus. de præscript. Bald. in l. 1. ff. de orig. iur.

CVIII.

Non exer-
cens Nota-
riatus of-
ficiū. *Notarius officiū Notariatus non exercens, ipso priuari officio potest, etiamsi in Tabellionū matricula inueniatur descriptus. l. qui sub prætextu. C. de colleg. lib. 11. l. semper. §. negociatores. ff. de iure immu. l. ne quidē. C. de testa. mili. l. qui sub prætextu. C. de sacrosanct. Ecclesi.*

CIX.

Per alium
seruire po-
test Nota-
rius. *Speciale est, ut Notarius possit seruire, & officium suum explicare, per alium, eiusdem peritiā. Bartol. in l. 1. C. de præpo. agen. in reb. lib. 12. glos. in l. 1. C. man. & colle. lib. 11. facit l. fideicommissaria. §. fin. ff. de leg. 3.*

CX.

Illustres
idem pos-
sunt. *Sic & speciale est in illustrib. personis, ut possint per substitutum seruire. l. quisquis. C. de Episcop. & cler. l. nullus. C. de decurionibus lib. 10.*

Subiacent
tamen legi *Et si autem illis, per alios seruire, & officiū suum exercere, concessum sit, & permittatur, ipsi tamen legi subiacebunt. Id enim substitutus facere posset, quod Notarius ipse non fecisset. §. penul. in Authen. de Tabell. l. nemi-nens. C. de decur.*

CXI.

Si Notarius in instrumento posuerit pecuniam numeratam, quam ipse tamen numerari non viderit, falsi poena tenetur. glos. in l. si ex cautione. C. de non nume. pecu. Pecunia numerata.

CXII.

Etsi pecunia in sacculo tradita, numerata dicatur, melius tamen est, & cautius, ut ipse Notarius pecuniam numerari videat. Bart. in consil. 213. tertij volumi. allegando l. ad hoc interesse. ff. de usu. Pecunia in sacculo.

CXIII.

Notarius examinans testes, non iuratos, poenam falsi incidere potest. Bart. in tractatu, de testibus. ver. presbyteri. colum. 3. l. inbemus. C. de testa. Testes non iurati.

CXIIII.

Notarius non debet ignorare vim clausulae, non vi, nec metu. Bart. post glos. in l. extat. ff. quod metus causa. Clausulae, non vi, nec metu.

CXV.

Quinq; sunt genera violentiarum.
 1. *Quaedam enim est violentia expulsiua, quae non habet expulsi consensum. de qua per totum titulum. ff. de vi, & vi armata.* Quinq; genera violentiarum.
 2. *Quaedam est violentia, quae habet locum*

DE NOTARIORVM

tam in re mobili, quàm immobili, toto tit. uti possidetis.

3. Quædam est violentia, quæ vocatur inquietatiua, ut quãdo ædificas, aut aliud quiddam facis, in quo molestaris, seu inquietaris. de quo in l. metum. §. 2. ff. quod metus caussa.

4. Alia est, quæ vocatur ablatiua, et locum habet in reb. mobilibus, de qua in tit. de vi bono raptorum. & ad l. Iuliam, de vi.

5. Alia est, quæ vocatur compulsiva, quando aliquis cogitur cõsentire. de qua in tit. quod metus caussa.

CXV.

Metus
quid.

Metus est instantis, vel futuri periculi causa, mentis trepidatio. l. 1. ff. quod metus caussa. Barto. in l. met. iud. non appell.

CXVI.

Metus duæ
sunt spe-
cies.

Probabilis
metus.

Improbabilis.

Metus duæ sunt species. Quidam est probabilis, quidam improbabilis.

Probabilis metus est, carceris, & status mortis, cruciatus corporis, stupri, seruitutis, & similia. Talis enim metus cadere potest etiam in virũ constantem. l. isti quidem ff. quod metus caussa. l. interpositus. C. de transact. l. penul. & l. fin. C. quod met. cau. l. nec timere. ff. eod. c. conuenio. 24. q. 8.

Improbabilis metus est, qui non cadit, nisi in hominem pusillanimum, & formidulosum. Et
hic

hic non excusat. ut in c. cum dilecti. eod. tit.

CXVII.

Ea quæ fiunt vi, vel metu, per exceptionē
regulariter irritantur. c. abbas. quod metus
caussa l. metum. §. sed quod prætor. ff. eod.

Exceptio
contrarium,
vel metū.

CXVIII.

Dicta Regula procedit, ubi quis inducitur
dolo, vi, aut metu, ad malè agendum. c. penul. ad malè
quod met. cau. Hostien. in tit. de conuersione agendum.
coniugatorum. §. et utrum.

CXIX.

Actus autem dolo, vi, vel metu, ad bonū
tendens, factus, non rescinditur. d. c. penult.
quod met. cau. c. disciplina. 45. distinct.

Actus ad
bonū ten-
dens.

CXX.

Sicut contractus, die Dominico celebratus,
licet contrahentes eo die, peccent, valet, ita et
contractus, in Ecclesia celebratus, valet, et si
pariter contrahentes peccent. Textus est nota-
bilis, in l. fin. C. de ferijs. quem ad hoc panderat
Bald. in c. 1. de treu. et pa. glos. ordina. et sing.
in c. decet. super ver. processus. de immu. Ec-
cle. lib. 6.

Contractus
die Do-
minico, et
in Ecclesia
celebra-
tus.

CXXI.

Muliere, vel Rustico testante, nō adhibitis
solennitatibus, à iure requisitis, et quæ indu-
cuntur in testamē-
ta eorum facta

DE NOTARIORVM

Etione, non Etæ sunt, pro forma testamentorū, propter er-
excusat rorem, vel ignorantiam, excusari nō possunt.
mulieres, l. ambiguitates. C. de testa.
et rusticos.

CXXIII.

**Aduocati
consulen-
di sunt.** Sicut mulieres et rustici, ad Ciuitatem, pro
festiuitatibus, & ad sylvam, pro lignis, se con-
ferunt, ita etiam, pro consilijs, Aduocatos ac-
cedere, eosq; consulere debent. Bald. in l. cūctos
populos. C. de summa trini. & fide Cathol. &
l. 3. C. de iu. detib.

CXXIII.

**Forma nō
seruata,
actus cor-
ruit.** Forma est substantia & essentia actus, vn-
de ea non seruata, actus corruit. textus est not.
in c. cum dilecta, de rescript. in c. pisanis. de re-
stit. spolia. c. quia propter. de vsur. c. sine ex-
cept. 12. q. 2.

CXXV.

**Defectus
in forma.** Vbi defectus est in forma, si actus nō valet,
vt agitur, nec valet eo meliori modo, quo po-
test valere. text. nota. in c. vnic. de postul. præ-
la lib. 6. Bart. & Ioan. de Imo. in l. 1. §. si quis
ita ff. de verb. oblig.

CXXVI.

**Et copu-
la, quid o-
peretur.** Copula &, coniungit principale cum ac-
cessorio. l. Titia textores. §. nihil. ff. de leg. 1. l.
si cui. ff. de fun. instru. & ibi Bart.

CXXVII.

Sublatō

Sublato principali, tollitur accessorium l. i. Principali
 & 2. ff. de pecu. l. cum princip. ff. de reg. iur. sublato,
 quid fiat.

CXXVIII.

Summa diligentia obseruet Notarij, ne per
 fallaciã alicuius ex cõtrahentib. decipiantur. Deceptio
 Multis enim modis homines decipi possunt, si- multiplex
 ue id fiat per fallaciam æquiuoca. siue amphi- est.
 bologia, accidentis, cõsequētis, compositionis,
 seu diuisionis, aut figuræ dictionis. De his latè
 per Ioan. And. in reg. sine culpa. u. col. de reg.
 iur. in 6. in Mer. Sint ergo cauti, ne ignominio
 sum illis sit, artifices in sua arte, in qua versan-
 tur, & quam exercent, per ignorantia decipi.
 l. 2. §. Ser. Sulp. ver. turpe est enim. ff. de ori. iu.

CXXIX.

Notarius non tenetur dare instrumentum Notarius
 partibus, sine pecunia. Gl. in ver. argentarius, sine pecu-
 in prim. in ver. assimilēs ff. de aden. dicit, quod nia non te-
 non. In contrarium facit l. i. §. illud quoq. C. de netur in-
 ord. & extr. cog. Et Guil. in d. l. Argentarius. strumentũ
 dicit, quod Notarius possit capere duplicem dare.
 mercedem, pro instrumentis confectis. Vnam,
 pro imbreuiatura, Aliam, pro extensione. Pro
 hac allegant casum singularem. l. si post mediũ.
 C. de princ. agen. in rebus. lib. 12. facit l. in sa-
 cris. in fine. C. de prox. sacro. sacri.

Finis appendicis.

AD

AD CLARISSIMUM
AC ORNATISSIMUM VE-
 rū, pietate, doctrina, prudentia, vitæq;
 integritate, & humanitate conspicuū
 D. Ioannem Cnipium, Andronicū se-
 cundum, Artium liberalium, & Philo-
 sophiæ Magistrum, Dominum & ami-
 cum, fratris loco, charissimum suum,
DE OFFICIO BONI TABELLIONIS,
 Notarij, seu Scribæ, necnon Secretarij,
 aut Cæcellarij Officio, Henrici Cnau-
 stini, V. I. Doctoris, **COMITIS** Sacri
 Palatij, aulæq; Lateranensis, &
 Poëtæ coronati Cæsa-
 rei Carmen.

Multa tulit doctus, fecitq; Tabellio multa,
 Sudavit, seuum pertulit atq; gelu.
 Abstinit Venere, & Baccho, vagosq; refugie
 Discursus, precium temporis ipse sciens.
 Ad nostras nam lata quidem via nō datur artes,
 Formatur multo docta labore manus.
 Ne persuade tibi, munus si fortè petisti
 Scribæ, te molem non subisse grauem.
 Aut si fortè petis, tabulas tibi publica credat
 Actio, non magnum te pctiisse decus.

EST

Est magnum, mihi crede, decus, concinna docere,
Non est apta minus scribere posse decus.

Hinc est, quod vulgus scribarum nomina, nullo
Intellecta modo, turpis, inersq; refert.

Si quæras, quid scriba? suū quod munus? & artis
Quod sit opus? nescit perditus iste loqui.

Si quæras contra, quid vana superbia? Thraso?
Quid Bacchus, veneris quæ sacra bellus amet?
Virgine cum ludus quid? Respōdebit ad vnguem,
Ingenij doctus pro leuitate sui.

Sed tu turpe putes, artem, quam profitearis,
Ignorare, tibi sit pudor esse rudem.

Disce quid officium, quæ sit prouincia scriba,
Munere quid tanto docta Minerva velit.

Non pudor est nescire, pudor nil discere velle,
Hoc infame caue nomen, amica cohors.

Dici igitur quicumq; cupit scriba optimus, inter
Præclaros, palmam quiq; referre cupit:

Monstrari digito, cunctisq; placere, & honore
Affici, is vt prudens, non sit oportet iners.

Sit doctus, bonus, & facilis, simul atq; fidelis,
Arcanum sancto pectore condat opus.

Credita non vlli pandat secreta clientum
Garrulus, at taciti laude decorus eat.

Sit vigil, & multo non somno deditus vnquam,
Nanq; facit segnes lurida p'uma viros.

Est Aurora sacris, mihi crede, aptissima Musis
Omnibus, & studijs semper amica bonis.

Si

1.2. parat.
Seruius. ff.
de ori. iur.
& Auth.
de iudicib.

1.

2.

3.

4.

5.

- Si quicquam cupias facili prestare Minerua,
 Fac aurora tibi nunciet alma diem.
6. Porro, difficilem haud vllum putet esse laborem
 Scriba sibi, poterit vincere cuncta labor.
7. Principis ipse frequēs sit cultor, amans q̄ Palatij,
 Sedulus officio, vt iussa capeſſat, eat.
8. Primus & accedat Domini sacra atria spontè,
 Ast abitum sumat posteriore loco.
9. Res veteres, simul atq̄ nouas, studiosa recondat
 Cura viri, ne quod cistula perdat opus.
10. Thesauros veluti, seruet chartas q̄, schedas q̄,
 Et minimas notulus cura solennis amet.
11. Nec tantùm literas norit citò pingere Scriba,
 At sciat & versus pangere docta manus.
12. Arguat hunc carmē, benè scripta q̄, epistola doctū
 Nitida, quæ breuis est, ast & aperta satis.
13. Floribus & crebris scateat dictis q̄, sonoris,
 Quæ oderit & peius barbara verba cane.
14. Quæ facunda satis videatur, non quasi inepta,
 Stultæue, lectori quæ sit amœna suo.
15. Ipsa manus Scribæ velox sit, & arte regatur,
 Non sit tarda nimis, præcipitata nimis.
16. *Quintilianus.* Nam bene pingendo, sic vt acriter, et citò, Scribæ,
 Contrà non citò, quo quis bene pingat, erit.
17. Non quoq̄ sit balbus, sed infans, Scriba probatus,
 Eloquio at clarus, suavis, & apta sonans.
18. Lingua suum faciat munus bene docta, diserta,
 Comis, & vrmano tincta lepore fluat.

Sit q̄

- Sit q̄, grauis sermo, constans, prudens q̄, breuis q̄, 19.
 Verbose fugias, Scriba perite, notam.
- Paucis expedias verax, tibi si quid agendum, 20.
 Falsidico nugax ore loquare nihil.
- Polypus esse caue, fœdusue rapaxue Celeno, 21.
 Nec cupidus lucri turpis, auarus, inops.
- Conscribas precio tolerabili & ipse libellos, 22.
 Contentus modico, non sine laude, lucro.
- Artibus his etenim maiorum gratia, amor q̄, 23.
 Conciliatur, erit gratus & inde minor.
- Extendet q̄, tuas magno cum nomine laudes,
 Te q̄, celebrabit pauper vbiq̄, loci.
- Talem si dederint nobis hæc tempora Scribam,
 Cancellatorem, quiq̄, tacenda sciat:
- Gratus erit populo, ventura q̄, secula probabunt,
 A Rege ornatum, principibus q̄, viris.
- Magnus eris, si talis eris, cultissime Scriba,
 Huc laudem atq̄, decus, nitere, quisquis amat.
- Et si quid, monitus, doctrina hinc fortè reportas,
 Acceptum Cnipro, candida turba, feres.
- Huius ego volui te quò mea Musa moneret
 Nomine, præclarū quod breue carmen habet.
- Hic mihi cum fratris vice sit dilectus amicus,
 Ludit amica suis Musa sonora modis.
- Nam veneror, vere q̄, virum colo, amo q̄, diserta
 Artis Apollineæ quòd lauit ora sacris.
- Atq̄, modis, quibus ipse potest, studia inclyta, &
 Ornat, Egenolphi per bona fata gener. (artes

Per bona fata gener tuus, ô Margrita, relicta
 Coniunx Christiani, lecta, pudica, pia.
 Matronam te fata colunt, venerantur, amantq;
 Olim quòd speculum tu pietatis eris.
 Hinc generos, grauitate pares, pietate secundos
 Nulli, præclaros, lumina magna, viros:
 Fata dedere tibi Lonicerum, hic Doctor Adamus
 Dicitur, & Medica magnus in arte viget.
 Est alter Cnapius, magno ille Melanthonè doctus,
 Cui vita charus, verè & amatus erat.
 Quanta sit in linguis huius doctrina, disertus
 Quàm sit, quid valeat cognitione, rogas?
 Ne quæras, per se loquitur res ipsa, docetq;
 Quàm Cnapius sermo purus ab ore fluat.
 Siue loqui Graio cupias, Latine sonare
 Eloquio, cum istoc experiare licet.
 Siue pias fors Nympharum spaciabere ad vndas,
 Alcinoiq; hortos, pleetra sonora dabit.
 Quicquid Aristoteles, Plato, Socratésue reliquit,
 Nouit, & hæc crebrò lingua diserta docet.
 Quid referã, quàm sit prudēs, humana, benigna
 Natura, & patiens, quàm moderata, viri:
 Quamq; cibo exiguo, & potu sibi temperet, atq;
 Quàm sit frugalis sobria mensa suis. (cat,
 Ocia quàm fugiat, labor improbus omnia vin-
 Quàm sit sollicita maxima cura domus.
 Omnia nota magis, multis quàm præco loquatur,
 Omnia dic vna voce, pius, bonus est.

Hanc

90

Hunc ergo mea, lector, habe per carmina charū,
Quem tibi commendat nostra Thalia virum.
Henricus propria Cnaustinus nomine, Doctor,
Atq; Comes, dedit hac scripta, Poëta, manu.

ADMONITIO, QVASDAM PE-
culiaries Regulas, quasi notas con-
tinens, nouellis Notarijs
scripta.

HAec quoq; Scriba caue dira mala nomina cul
Ne fama noceant, officiantq; tua. (pa;
Nanq; notam infamem facile est incurrere cauto
Quippe parū, hāc fugias, ō bone Scriba, notā.
Idcirco imprimis, Breuiarius antè paratus 1s
Sit tibi, quàm quicquam cœptet in arte labor.
Non vllum celebretur opus, sed nec transactio fiat
Vlla, nec ad minimum progrediariis onus.
Imbreuiatura ni protinus acta, peracta,
Mudentur, tuto sic potes esse loco.
Niltentes sine teste, nihil facias temerè vnquam, 2s
Nec pigeat testes fortè rogare tuos.
Gratia apud te non vlli sit tanta Magistro, 3s
Vt quicquam fingas, vera loquare, nota.
Attentè partes audi, bene discute quid sit, 4s
Quidue velint. Error iure nocere solet.
Atq; accuratè scribas audita, clienti 5s
Fidus, sed docta sollicitaq; manu.

M a

6. *Quae non lecta prius tibi sunt studiose, & ad vn-*
Auscultata caue scripseris esse tibi. (quem,
 7. *In fine haud vario, sed constans vtere signo*
Conueniente tibi, pingat id apta manus.
 8. *Iniuſtam ſi quando vides cauſam eſſe, fouere*
Deſine, in eſt cauſis gloria nulla malis.
 9. *Sis grauis in verbis, factis, & moribus idem.*
Nec leuitate notam concipe, amato bonos.
 10. *Suſpectus q̄, caue ſias, quantum potes, arte*
Vitanda & cauſa ſuſpitionis erunt.
 11. *Ceſaris haud ſingas nomen, ſi Papa creator,*
Non pudeat Domini nominis ferre tui.
 12. *Infamis ſies, aliter ſi feceris ipſe,*
Nam tibi quod placuit, diſplicuiſſe nequit.
 13. *Infamis falſum ſi commiſiſſe probaris,*
Claro non vnquam munere dignus eris.
- l. 2. C. de *Nec poteris munus porro exercere Notarij,*
dignita. Omnibus abiectus, nomine vilis homo.
Hac docti caueant omnes, & quiſquis honeſti
Tramite praeclarus nomina digna gerit.
Iſta legenda tuo dedimus ſub nomine Scribis,
Scribarum exemplar, Scriba Hubenere leo.
Foſſan erunt, quibus haec proſint praecipua, leoni
Atq; accepta ferant, Sic Hubenere Vale.

ICONIS

**ICONIS D. HENRICI
CNAVSTINI, ARTIVM LIBERA-
lium atq; V. I. Doctoris Consultissimi, Comitiss
Sacri Palatii, & aulae Lateranensis, Poetae
Laureati, descriptio, ad filium Hen-
ricum Cnaustinum Iuris
Candidatum.**

HÆC lege curriculi vitæ mea carmina, fili,
Atq; quod ex usu sit bene, carpe tibi.
Multa iuventuti veniunt data commoda, multa
Aetati teneræ noxia, amara, mala.
Multa senem circumveniunt incommoda, multa
Commoda solantur, maximè amata quies.
Hanc ut habere queas, fili, iuuenilibus annis
Rem simul, atq; decus, diuitiasq; para.

NATIVS in Hamburgo veteri de stirpe parentum
Cnaustinus, sacri Iuris alumnus eram.
Multa tuli iuuenis, petijq; per ardua callem
Angustum, latis abstinuiq; vijs.
Vidi multa, virum cum me maturior ætas
Versaret, varijs conficeretq; malis.
Perfidiam, fraudes hominum, fratrumq; pericla
Expertus, didici notior esse mihi.
Quattuor egregias præclari nominis aulas
Sectatum, iam me cura quietis habet.

*Sed dic, dum dulcem multo sudore quietem
Capto, cur nostros, heu, fugit ipse lares?
Diuitias alius fuluo sibi congerit auro,
Pauperis at tuguri nomen inane gero.
Quid querar, ante pedes nunc est mihi serior ætas,
Qua sine re tempus vilis inersq, tero.
Octo mihi Lachesis concessit lustra, duosq,
Annos, nunc senio proximio gradu,
Hac ætate fui talis, tam corpore paruus,
Seuerus vultu, blandior ore tamen.
Non aulas repetam, nec dicam iura reorum
Ciuibus, vt quondam, quos releuasse iuuat.
Nec multis iterum onerabo laboribus æuum
Quod restat, suauis at mente quiete fruam.
Stet quicumq, volet lubrico clarissimus aulæ
Culmine, me saturet dulcis & alma quies.
Obscuroq, loco positus fruam ocio in horas
Leni, vt per tacitum carmina nostra fluant.
Serior & nullis sit nota Quiritibus ætas,
Ne rodant curæ mentem animumq, graues.
Sic cum transierint nostri sine turbine iusti
Quippe dies, moriar plebis & ipse senex.
Qui nimis est cunctis notus, grauis incubat illi
Mors, sibi quod vita non bene notus obit.
Vxorem noui, natos, mea gaudia, vidi,
Atq, iuuentutis præmia larga tuli.
Doctrinæq, gradus omnes cum laude recepi,
Et iuuenem iuuenes me docuisse placet.*

Principibus.

Principibus, Satrapis aularum, gratus obiui
 Munera, & acceptus ciuibus usq; fui.
 Erutus è turbis tandem, rerumq; procellis,
 Ad Musas redij prosperiore via.
 Hic ubi frugalem magno sine nomine vitam
 Dego, ministerio gratus amice tibi:
 Hospitio exceptum refoues Erphordia grato,
 Incluta præclaris semper amata uiris.
 Multa accepta tibi fero, plurima gratus in æuum
 Pendam, me porrò, si placet, oro foue.
 Efficiam, si quid potero, aut mea Musa, vicissim,
 Ne ferar ingratus, neu malus hospes eam.
 Laudibus ipse tuis insistam, laude decoram.
 Ornabo, hospitium tu modò præbe mihi.
 Sit claudenda tuis utinam mihi meta sub alis
 Vitæ, quod spero. Christe tuere tuos.

ALIUD EIVSDEM AVTORIS.

Me natale solum cultissima Teutonis ora
 Protulit Hamburgum, pulchra corona maris.
 Conrado natum patre, qui celeberrimus inter
 Ciues, eloquio clarus & arte fuit.
 Hic patribus patriæ gratus, populoq; colendus,
 Vicinis operam Principibusq; dedit.
 Vxorem duxit primorum stirpe creatam,
 Quæ de Hornmannorum stemmate clara fuit.
 Quattuor ex illa natos suscepit, & inde
 Bis duo Natarum corpora pulchra tulit.

22
Sed me, qui maior natu studia acria legum
Sectabar, prima pube ligabat amor.
Vxorem duxi, natos parit illa secundo,
Nate superstes eras, filia morte peris.
Nobilis atq; elegans subita quoq; peste ruebat
Mater, quæ Medici nobile stemma fuit.
Me ducis Henrici de Magnapoli genus altum
Aula tunc habuit, Marchio primus erat.
Tertius at Pomeranus, eum dixere Philippum,
Cuius in eximia Syndicus urbe fui.
Hinc Bremam fato vocor Archi ad Præfulis aulas,
Qui maius solito nomen habere iubet.
Stare ducis pietas hic iussit honoribus auctum
Tum propius, multis extulit atq; modis.
Et nisi præpropera defunctus morte fuisset,
Mœnia adhuc colerem, maxima Brema, tua.
Dein studijs postquam cupio me reddere legum,
Fertile Gera tuum deligo amœna solum.
Succedoq; tuis acceptus sedibus hospes,
Iamq; patrocinio me duo lustra foues.
Spero quidem porrò per plurima lustra fouebis,
Nam læto hic statui claudere fine dies.

ALIVD.

E patre Conrado natus sum, matre Adelheida,
Patritius proauus, sic quoq; natus auus.
Grandior atq; minor fratres studia inclyta legum
Sectantur, medius Martia castra colit.
Sed tu nos omnes, mitissime Christe, tuere.
Sit nobis felix, quæ bene cœpta via est.

ALIVD.

ALIVD.

Quando vir Domini iugum
 Fert iam à puerilibus
 Vsq; annis, bene res habent.
 Non est quòd timeas tibi,
 Quandocunq; Deus suis
 Tecum ludit amoribus.

Et multa aspera diraq;
 Immittit tibi, quò premar
 Membrorum petulantiam.
 Nam te diligit optimus
 Cœlorum arbiter, ut bene
 Concussum caput erigat.

At cùm prosperioribus
 Et felicibus vteris
 Iam successibus impius:
 Hoc tempus timeas caue,
 Quod portat tacito pede
 Horrendum interitum tibi.

Expertus mala plurima
 Cnaustinus, tulit omnia &
 Vicit magno animo mala.

Hostiles habuit vir hic
 Incursum violentijs
 Blasphemos, meritum citra.
 Sed mitis didicit suam
 In multa patientia
 Custodire animam Deo.

Qui fidit Domino, licet
Res sint difficiles, pius
Non unquam mala sentiet!
Fidelis Deus est, dat is
Cum tentamine prouidus
Euentum in moderamine:
Ut sufferre queat bonus
Athleta, in cruce neruat,
Succumbatq; velut malus.

ALIVD.

Lustra iam nobis rapiuntur octo,
Et simul recta duo non morante
Freno, adhuc anni volitant per auras
Ocius Euro.

Temporis tanti spacio quid ipsi
Fecimus dignum? Prior & tenella
Fleuit ætatis timuitq; virgas
Flos verecundæ.

At dein lasciuæ proteruitas heu
Et Venus, luxus petulans iuuentam
Sordibus foedauit & improbauit
Non sine labe.

Iurgia armarunt animos forenses,
Postea & verè studium triumphis
Pertinax dulcis iacuit sub atris
Casibus omne.

Hæc

Hæc volans dum vita facit dierum
 Optima omnino perijt abusu
 Portio, cur nunc subeant malorum
 Plaustra rogabo?

Multa fert ætas, adimitq; multum
 Commodi, nec tam bona, quàm prioris
 Tempora ætatis, veniet fuere
 Scilicet unquam.

Amnis elapsi instar eunt fluuntq;
 Tam dies quàm anni, rapidi, citiq;
 Quos ego vix tandem abijisse sensi
 Integer annos.

Ipsè cum doctõribus en senesco,
 Prima qui primis elementa in annis
 Viui adhuc olim docuere, clari
 Nominis omnes.

Ab breues anni nimium fuere,
 Ocius iusto fugiere nobis
 Tam dies suaues, placidi, & quieti,
 Tamq; decori.

Hoc ubi nunc tempus, ubi hora, lusus,
 Corporis firmum decus, indolisq;
 Gratia, & Musarum ubi læta pleno
 Carmina saltu.

En fuerunt omnia, iam senectus
 Ad fores adstat, minitatur ultrò
 Tristia ac ingrata & acerba, more
 Quæq; recepto.

Numen

Numen incuso breuioris æui,
Quod datur mortalibus ecce nobis,
Cum iuuat primùm, morimur miselli,
Viuerè terris.

Quippe cum primùm Charites amare
Discimus verè, rapimur viritim,
Cum iuuat primùm bene viuerè, annos
Atropos occat.

Restat, ut post tot glacies rosasq;
Prima quas voluit ratio dierum,
Nunc niue expectata hyemem ad fouendam
Ligna legamus.

Te rogo æterni pie Christe fili
Patris, ut mentis regere ipse nostras
Tu velis, quo te videamus atq;
Ritè colamus.

Perdidit mundum, coluit studendo
Hactenus quem mens mea, porrò iam nunc
Corde sincero tibi Christe soli
Carmina pangam.

ALIVD.

Sic Cnaustinus erat, tabella picta
Quem monstrat medio sub axe vitæ
Vultum docta manus Magistri, at ipsam
Non mentem potuit tibi notare.
Præstantem eloquio patrem libellis
Iam fermè puer editis suorum

Doctorum

Doctorem monitu, solenni honore
 Affecit, dedit & prolixam amicis
 De se spem. Quid agat modò videtis!
 Si vitæ spacium dabit Deorum
 Cælestis pietas, piæ iuuentæ
 In multis feret adiumenta rebus,
 Ornabitq; scholas Deiq; nomen.
 Ut sit saluus in omne, lector, æuum,
 Natum quaeso velis Dei precari.

IN MALEVOLUM SYCOPHAN-
 tam & calumniatorem, Epi-
 gramma.

TE ridere scio mea carmina, nomina, stemma,
 Et quid non, nostrum quod modò nomen habet.
 Sed tu quaeso vide facias quàm Momule rectè,
 Indignis quòd te tractor ab hoste modis.
 Maiestas contempta fuit tibi splendida semper
 Induperatorum, & nomina magna Ducum:
 Ac Comitum, quibus est per celsa palatia Regum
 Illustres inter, non sine laude locus.
 At dignas tandem dabis improbe ganeo pœnas.
 Exitio cùm te vindicis ira premet.
 Namq; omnes lædis, mordes quoscunq; reprendis,
 Esseq; nemo tuo tutus ab ore potest.
 Hunc doctum ipse negas, hunc non vis esse disertum,
 Nobilis non est hic, nec bonus, ille pius.

Quid


Quid tum, si possem patrium deducere stemma
Quattuor à proavis, nobilitate pari?
An prohibere cupis, vel coges Momule? Scito,
Quàm tu sum natus nobiliore loco.
Sed iactare iuvat patrum quid stemmata? clarum
Conciliat virtus propria cuiq; decus.
Mordaces in me iam porrò comprime dentes,
Scurra, cie capiti nec mala dira tuo.


FINIS.



FRANC. Apud Martinum Lechlerum,
Expensis Hæredum Chri.
Egenolphi.

M. D. LXXII.






37 18
4 16

AB 37 18
4 16

ULB Halle 3
003 607 879



56,





FR
PE
num

QVA
casre
in No
iuc

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13

B.I.G.

| Blue | Cyan | Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
|--------------|--------------|---------------|----------------|-------------|-----------------|---------------|-----------------|---------------|
| [Blue patch] | [Cyan patch] | [Green patch] | [Yellow patch] | [Red patch] | [Magenta patch] | [White patch] | [3/Color patch] | [Black patch] |

